MATERIES MEDICA

PRAELECTIONIBUS ACADEMICIS ACCOMMODATA

AUCTORE

JOANNE BAPTISTA BALBIS

IN SCHOLA MEDICA TAURINENSIS ACADEMIAE BOTANICES, ET PHARMACEUTICAE ARTIS

PROFESSORE,

HORTIQUE ACADEMICI PRAEFECTO,

Imperialis scientiarum, literarum, et artium Taurinensis Academiae sodali, Societatis agrariae Taurinensis Praeside; Academiae Divionensis, Societatis Imp. scientiarum, literarum et artium, ac medicae Genuensis, naturalis Wetteraviae socio, etc.

PARS II.

MDCCCXI.

IN AEDIBUS ACADEMIAE TAURINENSIS

TYPIS VINCENTII BIANCO

Edidit PETRUS JOSEPH PIC,

Bibliopola sub porticu Fori Imperialis.

MATERIES MEDICA.

SECTIO QUARTA.

DE MEDICAMENTIS

SUPER CIRCUITUS SYSTEMA PRAESERTIM AGENTIBUS.

Quum vasorum non secus ac nervorum systema in omnes diffundatur partes, ac vitalium virium imperio potissimum obtemperet; nihil sane est, cur miremur, si gravibus malis, vel ex levi hujus laesione proficiscentibus, illud quoque obnoxium sit; quam magna vero sit vis, quam in omnia animalia organa exercet, ex pulsu quotidie satis patet, quum ejus varietates, ac significationes in morbis fere omnibus ad eorum naturam, indolem, vices, vehementiores, vel remissiores gradus cognoscendos considerare consueverimus.

Hic vero neque de corde anatomice disseram, quod tamquam praecipuum organum sanguinis circuitus habetur; neque pulsuum doctrinam physiologice, ac pathologice persequar, illud

tantum perstringam, quod therapeutae lucem quamdam praeferat, unde artis praesidia tutius, utiliusque morbis admoveantur.

Illud itaque primo considerandum vasa singula vitali vi pollere, ut a sanguine exstimulata sanguinem, quem a vi impellente ipsius praesertim cordis recepere, jugiter ad idem cor revehant; ex quo consequitur imminuta sanguinis copia, quae vasa stimulat remissiorem fieri circuitum sanguinis, debilioresque arteriarum micatus, aliaque consequi ex his satis nota in morbis phoenomena.

2.° Ex summa porro, quae inest inter vasculare systema cum aliis animalis oeconomiae systematibus consensione obvium est, ex turbatione in circuitu sanguinis inducta, sive celerior is reddatur, vel segnior, aut irregulari modo absolvatur, laesiones consequi pulsu cognoscendas; ut tamen memores perpetuo simus Celsi praecepti, fallacissimam rem pulsum esse, adeoque non huic uni fidendum, sed alia adjungenda signa, ut sic morbi diagnosim instituere possimus; nec non morbi exitum etiam felicem, vel infaustum certius praenunciare.

3.° Id quoque therapeutae sciendum circuitum sanguinis generalem duobus componi circuitibus, quorum alter *rubri*, sive *arteriosus*, alter *nigri*

sanguinis, sive *venosus* dicitur; eorum prior nutritioni aptam materiem singulis partibus suppeditat, vitamque singulis organis, musculisque infert, aut saltem eidem conservandae necessarius est. Alter vero reliquias partium vitae actione detritas, residuumque a priore circuitu sanguinem ad cor, et pulmones reportat.

4.° Denique neque illud praetereundum in juvenibus praevalere systema arteriosum, contra venosum in senibus. Atque haec quidem hactenus tradita principia haemorrhagiarum doctrinam illustrant, et simul medicum tutius perducunt ad ea seligenda praesidia, quae in vitales circuitus systematis proprietates speciatim dirigantur.

His praemissis, ab iis exordiemur, quae in venosum, sive nigri sanguinis circuitus vitales proprietates praesertim agunt, uti sunt venaesectio, hirudines, et scarificationes, etsi duo postrema etiam supra alterum systema actionem suam exerceant.

§. I.

DE PHLEBOTOMIA.

Antiquissimis jam temporibus usitatum medendi genus, ad certiores nunc regulas perductum *venaesectio* est, seu *phlebotomia*, cujus ope sanguis detrahitur, sive ad vitalium virium sys-

tematis vascularis excessum moderandum, sive ad majorem, quam par est, nimis videlicet redundantem sanguinis copiam minuendam.

Insigne hoc salutaris artis auxilium quemadmodum eximios fautores, ita et hostes habuit acerrimos. Ejus quippe generis praesidium est, quod prout opportune, vel temere adhibetur, aegrum non liberare modo, sed et occidere potest; ablata scilicet morbi caussa, aut fractis aliquando, pessundatisque viribus, quae sine temeraria venaesectione morbo solvendo pares adhuc fuissent.

Hinc, ut consulto tantum remedii genus in usum perducatur, neque unquam, si fieri potest, noceat, ad eas caussas respicere juvabit, quae vitalem vasorum vim aut erigere, aut infirmare valent. Quum enim, ut jam innuimus, circuitus sanguinis vis, ac energia a sanguine imprimis regatur; patet ideo imminuta hujusce liquidi copia, vascularis systematis infirmitatem consequi debere. Quum itaque caussae adsunt ejus systematis energiam nimium erigentes, qualis praecipue diathesis hypersthenica, ac speciatim ubi vita deses, opipara victus ratio, vini, ac spirituosorum abusus praecessere, aut menstruus, vel haemorrhoidalis fluxus substitit; tunc hujusmodi utendum praesidio, nempe secanda vena.

Quo sane auxilii genere nullum est praestantius, aut magis necessarium, aut efficacius, quam ubi de tollenda, aut etiam praecavenda viscerum inflammatione sermo fuerit. Nec minorem fere opem praestat in gravioribus vulneribus, et contusionibus, ac luxationibus, maxime si saevus consocietur dolor; et in haemorrhagiis activis, et in quibusdam capitis morbis, diriore cephalalgia, mania, apoplexia, quam vocant, sanguinea, similibus; etsi illud quoque fatendum in his ipsis casibus, quum scilicet infirmiores sunt aegrotantis vires; aut nimium provectus est morbus, aut etiam peculiaris aliqua epidemicae constitutionis indoles id auxilii genus prohibent: quibus etiam illud addas non semper omnem plenitudinem, aut inflammationem, aut omnem ejus in aliquam partem impetum venaesectionem postulare; nec demum ex sola pulsus conditione certum semper erui posse de sanguinis detractione judicium; ex quibus omnibus patet quam caute in morbis vena tundenda sit.

Juvat quoque animadvertere non in omni morbi stadio tuto venam secari. Generatim quippe ex Clinicorum consensione, irritationis, ut nunc ajunt, tempus, ea nempe morbi periodus, in qua symptomata sunt vehementiora, opportuna magis est venaesectioni; hinc per initia morborum prae-

cipue, ubi valida systematis energia, et vitales organorum facultates plurimum sunt incitatae, hocce praesidio sunt moderandae, fidenter utimur.

Sunt qui in febribus intermittentibus ex symptomatum praesertim vehementia decepti sanguinem mittendum esse contendant; sed raro in hisce febribus tundendam esse venam arbitramur, nisi forte in aliquibus vernalibus, aut in subjectis sanguineo, ut vocant, temperamento donatis, vel ubi metus adest inflammationis in aliquo viscere; tumque, si haec instituenda operatio, vel apyrexiae tempus seligendum, vel in stadio caloris peragenda. Nullomodo vero eam admittimus in perniciosis aliquibus ex hisce febribus; licet enim nonnullorum vasorum turgescentiam queat imminuere, utilemque derivationem producere, vires tamen vitales adeo deprimit, ut graviora potius mala inferat; unde fit, ut in simili casu sanguinis missio haud raro graviter noceat.

Neque etiam probatur phlebotomiae usus in iis, qui vitalium virium ingenita, dixerim, infirmitate detinentur, in languidis, emaciatis, infantibus, senibusque, post immodicos corporis, mentisque labores; perniciosam, quoque in universum, esse credimus iis, qui lentis, diutinisque febribus detinentur. Si itaque in his adjunctis morbi natura venaesectionem postulare videatur, cautissime pen-

sandae aegrotantis vires, aestimandumque, num sanguinis detractionem, et quousque cum fructu sustinere valeant.

Instituitur phlebotomia in venis brachii, manus, pedis, quandoque etiam jugulares, sublinguales, frontales, aliaeque in aliis corporis partibus conspicuae venae pro re nata sauciantur, eo citatiori fluxu sanguinem daturae, quo grandior vena secta fuerit, latiusque aperta.

Aliqua nunc de mittendi sanguinis quantitate, de loco unde mitti debet, necnon de sectionis modo dicenda. Quod ad sanguinis quantitatem, id generatim receptum, parcius pro quaque vice, et iteratis potius, quam una vice ad animi usque deliquium effundendum esse. Hac itaque ratione ita regenda haec operatio, ut in graviori urgentiorique casu, in gravi plethora, aut vehementi inflammatione ad duodecim et ultra uncias simul et semel emittatur, si vires aegri ferant; interea dum aliae repetuntur deinde, quousque opus fuerit, sed minori copia, sanguinis detractiones.

Quamquam derivationis, ac revulsionis doctrina haud prorsus omnibus accepta, ab ea tamen sapientiores clinici non plane alieni sunt; locumque scilicet seligunt, e quo utilius mitti sanguis in plerisque morbis debeat, quod quidem adeo experientia confirmatum, ut fi-

dem a medico denegandam minime credamus. Non tamen nimium urgenda doctrina haec, nec omnibus aptanda morbis: praestiterit tamen in quibusdam viscerum inflammationibus, pectoris ad exemplum, e brachio, quod affecto lateri magis respondet, ut et in capitis morbis e jugularibus potius venis sanguinem detrahere.

Quae autem sit revulsivae venaesectionis utilitas, per se patet; ejus nempe ope orgasmum, et irritamentum sanguinis a determinata parte avertimus e praecipuis maxime organis. Hinc ubi metus est, ne motus isti aliquam partem pessundent, ut in cordis palpitatione, suffocativo catarrho etc. optimos producere valet effectus.

Haemorrhagiae saepe exempla nobis praebent evidentissima, quantum medico intersit ea loca seligere, quae maxime sint opportuna sive ad suppressas evacuationes revocandas, sive ad nimiam motuum in peculiari viscere actionem moderandam. Plurimum siquidem discriminis interest inter venaesectionem, quae in superioribus partibus instituitur, et illam, quae in inferioribus peragitur; id comprobant exempla foeminarum, in quibus venaesectione in brachio facta, dum menstrua fluebant, eadem suppressa sunt, quaeque nullum levamen contra nata inde incommoda obtinuere, nisi quum venaesectione in pede in-

stitūta, vel pediluviorum ope menstrua fuere revocata. Haec vero omnia nunc non solis hydraulices legibus, sed ex consensuum doctrina etiam nunc temporis satis feliciter explicantur.

Restat ut pauca circa venaesectionis modum addamus; qua in re generatim omnes consentiunt minus amplum vas esse eligendum, minusque vulnus esse infligendum iis, qui facile animo linquuntur, nec copiosa egent detractione. Ubi vero valida est inflammatio, viresque valent, contrarium prorsus emissionis genus observandum est.

Illud porro monendum, quum ex educti sanguinis inspectione varias conjecturas eruere medici consuescant, ita eas tutiores esse, quum detractionis modus ipsis notus magis est; licet enim vasis natura, capacitas, forma, aliaeque conditiones emissi sanguinis indolem plurimum valeant immutare, negare tamen haud possumus ex inspecta sanguinis tenacitate, aut tenuitate, exigua, aut nulla seri separatione, tum ex crustae densitate, duritie, et mole indicia peti, quae cum aliis collata signis utilitatis minime experta sunt.

§. II.

DE HIRUDINIBUS.

Ob peculiarem vim illam, qua gaudent hirudines, sanguinem ex animalium corporibus detrahendi, Medici inprimis permoti sunt, ut easdem medicos in usus converterent. Reapse, si famelicae sunt, ita se se affigunt, tenaciterque occupato loco adhaerent, ut vix vi avelli patiantur. Sic dimidiam circiter horae partem sanguinem sugendo crescunt, donec ad majoris digiti crassitiem distentae, ac bene satiatae fuerint, ut facete advertit Horatius:

Non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo.

Haec sanguinis suctio antiquissimis medicis innotuit. Plinius siquidem, lib. 22 cap. 10, de hirudinum usu ad extrahendum sanguinem verba facit. Galenus quoque, tum plurimi ex recentioribus de iisdem mentionem fecerunt, et hodiedum in medicina usus sunt frequentissimi.

Spectant autem hirudines ad Vermium Linnaeanam classem, eaque pro usu medico eligitur species, quae *Hirudo medicinalis* a Linnaeo nuncupatur, *depressa nigricans, supra lineis flavis sex, intermediis nigro arcuatis, subtus cinerea, nigro maculata* (*). Quamquam om-

(*) *Syst. nat. vol. 2 p. 1079.*

nem a cibo abstinentiam diu perferre queant haec animalcula, tamen voracissimae sunt; hinc, ut facile capiantur, congrumatus sanguis projicitur, quo multopere saginata majus inde volumen adipiscuntur. Sed sic sanguine turgida, quum eum digerere haud possint, hinc facile indigestione pereunt, vel alia incurrunt mala, unde pharmaceutae cavere admodum debent, ne hirudinum magnitudine decepti minoribus anteponant.

Habitant hirudines in aquis dulcibus; hinc cum aqua ingurgitatae quandoque funestos eventus produxisse narratur. Lethalis certe est juxta cl. JOANNIS PETRI MARIAE DANA antecessoris mei aeternum colendi observationes, in variis alpinis fontibus degens hirudinis species, *alpina* dicta, *nigricans*, *ventre ad medium bilineato*, *explanato, corpore ab ore et cauda nulla depressione distincto*, cujus descriptionem, et iconem, tum noxas et remedia videre est in 3.° Misc. Taurin. volumine pag. 199. tab. b. f. 1 ad 6. Hirudines istae inveniuntur in vicinis editisque montibus ad Garexii tractum spectantibus, versus *le Caranche et Batifol*; neque raro occurrere adnotatum est supra adversas alpes *Bric d'Mindin* dictas. Vernacula lingua *Sioures* aut *Soure* appellantur.

Ut vero semper praesto sint hirudines sive aestivo, sive hiberno tempore, e loco natali in vas vitreum limpida, nec salsa, neque corrupta aqua repletum immitti debent, vas dein linteo panno rarioris texturae, vel aluta foraminibus perforata claudunt, ut sic aëris liber sit aditus. Quarto quovis die aqua mutanda est, nec eadem nimis frigide affundenda, ne suam amittant hirudines alacritatem. Vix enim in loco natali hiemali tempore occurrunt, antequam aqua, vere adveniente, calefiat, vel saltem a calore solis temperetur.

Quum autem ad usum et applicationem usurpandae sunt, juvabit partem, cui admovere easdem placebit, ab omni sorde emundare; tunc siquidem, si famelicae sunt, illico rostrum infigunt, et sugere incipiunt, quod si tardiores se adfigent, aliquantulum sanguinis vel lactis illiniri poterit, vel cutim superficiario vulnere incidere, ut tantillum sanguinis prodeat, aut saccharum aqua solutum cuti inungere.

Numerus hirudinum insumendarum respondere debet quantitati sanguinis, quam detrahendam optamus. Nam quaeque hirudo vulgaris magnitudinis unam circiter unciam detrahit.

Ubi sanguine saturatae sunt, sponte decidunt; imprudenter quippe easdem detrahere liceret,

cum hac ratione et dentes et capita relinquere possint, gravioribus incommodis et ulceribus aegre sanabilibus locum praebendo; pauculum potius muriatis sodae soluti dorso earum aspergatur, quo statim decidunt. Aquas enim dulces inhabitantes, salsas haud ferunt; in piscinis pisces, si multae adsint, sanguinem detrahendo interficiunt. Cui internecioni oeconomi occurrunt sal, quod illorum est antidotum, piscinis injiciendo, unde facile destruantur.

Sibi relinquendae hirudines, donec sponte decidant, quod ubi factum est, non illico sanguinis effluxus cessat, quinimo per horae fere spatium e vulnere adhuc extillat. Ut vero copiosius defluat, idoneae sellae insidere debet aeger, sub qua vas, in quod sanguis excipiatur, collocandum est, itemque candelarum quatuor accensa frustula, ex quarum calore efficitur, ut uberius sanguis huc derivetur. Poni quoque potest intra sellam vas aqua calida repletum, ut aquae vapor ad anum, vel affectam partem ascendat. Si sanguis nimia copia fluens sistendus sit, imposito splenio alcohole rectificatissimo, vel aceto imbuto id facile obtinetur.

Quod si in hac operatione hirudo intestinum rectum intraverit, quod chirurgi interdum incuria contigisse legimus, eam oportet tunc enemate ex aqua bene salsa parato expellere.

Aliqua nunc de usu medico hirudinum tradenda. Praestantissimum certe auxilium offerunt haec animalcula, ubi sanguis ex iis locis est evacuandus, ubi nec scarificationes, nec incisiones commodo locum habent. Infantibus ideo, a quibus venaesectio difficile admittitur, tum ubi secanda est arteria temporalis, et jugularis vena, quae non sine magna chirurgi prudentia, ac dexteritate instituitur, ejus loco hirudines utiliter adhibentur.

Multi insuper morbi sunt, quorum sedes iis est defixa locis, quae nulli, ac memorato praesidio faciliorem praebent aditum. Huc spectant prae caeteris haemorrhoides, ischiatici dolores, ischuria, tenesmus, ac nonnulli nervorum consensu in capite vim suam exerentes morbi, ut mania, hypochondriasis, vertigo etc.; quo in casu rite observandum, utrum ad anum vasa quaedam turgida appareant, an vero antea aegrotus veris haemorrhoidibus laboraverit. Quum hoc utrumque deprehenditur, tunc haemorrhoidum fluxum ciendum esse indicatur. Naturae etiam admodum accommodata esse videtur haec evacuatio, ut praestantior nulla in topicis phlegmasiis; ita in ophtalmia ad canthum oculi externum admotae efficacissimum remedium praebent, teste prae caeteris ill. Pringle. Idem dicito

de odontalgia, de rheumatismo, aliisque innumeris morbis, in quibus hirudinum applicatio utilis deprehensa est. Juvant demum, ubi provide admotae in morbis jecinoris, in catameniorum suppressione, cui emissus sanguis opitulatur etc.

§. III.

DE SCARIFICATIONIBUS.

Scarificationum ope sanguinem educi jamdudum novere Medici, et usitatissimum erat apud Veteres subsidium magnam cum hirudinum actione habens affinitatem; quum proxime ergo, protinusque vasa sanguine nimis distenta sunt expedienda summopere laudantur, instituunturque praesertim, ubi partes inflammatione detentae sunt, ut in ophtalmia, cynanche, glossitide etc.

Vulgare vero est scarificationes adhibere post appositas cucurbitulas, quum iis vix avulsis iisdem locis, quibus admotae fuere, cutis scarificatur. Re enim vera, non modo humoris affluxu majori ad partem, quae cucurbiculae actionem experta est, accito prosunt, sed aliae insuper utilitates ab ejusdem detractionis modo praestant. Scarificatae quippe cucurbitulae et venaesectionis vices gerunt; ubi difficile venae secari queunt, tum etiam venaesectioni praeferuntur in quibusdam casibus,

quod vires non adeo frangunt, atque e vasis cutaneis sanguinem commode et promtissime exhauriunt.

§. IV.

DE ARTERIOTOMIA.

Rubri sanguinis circuitum attingit chirurgica frequentius alias, nunc rarius celebrata operatio, quam *arteriotomiam* dixere, qua alicubi secta arteria sanguis detrahitur. Gravis summique nominis Viri plura de ejus utilitate in difficilibus admodum casibus scripsere.

Neque alieni hodierna die sunt aliqui ex recentioribus scriptoribus, qui eam potissimum commendant, ubi phlegmasiae pertinaces aliquo in organo alte defixam sedem habent, non ita facile ab aliis praesidiis disjiciendam, ut in otalgia, phrenitide, mania, item in apoplexia, ut vocant, sanguinea, in morbis oculorum etc.

Licet autem ubique corporis incidi arteriae possint, temporalis tamen arteriae ramus aliquis solum fere ad hoc opus eligitur, quia non ita difficile, nec periculose secatur ac reliquae arteriae, ob compressionis scilicet difficultatem; temporibus quippe arteria ossibus incumbens facile comprimitur, ac deligatur, nullusque est, ut in aliis, lethalis haemorrhagiae metus, aut futuri aneurysmatis periculum.

Nec tamen omni periculo vacat in temporibus instituta arteriotomia; ab ea etenim facile aeger animo linquitur, nec semper determinata sanguinis quantitas detrahi potest, quia aut minus, ac par est, interdum erumpit, interdum vero nimis, quum haud ita prompte adductis vulneris labiis idem occludi potest. Praeterea quoniam commodum, quod ex secta temporali arteria pollicentur nonnulli, longe minori molestia compensari putant vel jugularium venarum sectione, vel hirudinibus prope oculos, vel retro aures admotis, hinc nonnisi in gravi admodum casu, caeterisque auxiliis irritis, ei locum esse existimamus; neque enim diffitendum, ob singularem, qua pollet ruber sanguis, potestatem extimulantem, tum ob summam celeritatem, ac impetum, quo ex apertis arteriosis vasis erumpit, citamque proinde consequentem infirmitatem, necessitate cogente utiliter administrari phlebotomiam posse.

SECTIO QUINTA.

DE MEDICAMENTIS
SUPER RESPIRATIONIS ORGANA PRÆSERTIM AGENTIBUS.

Vitae sustentandae adeo necessarium systema, respirationis scilicet innumeris, gravibusque morbis subjici compertum est; therapeutae itaque officium est praesidia inquirere hisce debellandis affectibus opportuna. Quo quidem in opere summi in arte Viri tum antiqui, tum recentiores insudarunt; nec desperandum hodierno tempore in tanta physices, chemiae, anatomes, et physiologiae luce multa huic parti additamenta fieri posse.

Antequam vero de iis dicamus, aliqua prius indicanda, quae respirationis organa praesertim respiciunt incommoda, ut horum notitia ducti facilius aptis occurramus auxiliis. Recolenda ergo quae de mucosi, et cellulosi pulmonum textus, de serosae eorum membranae, ac demum de bronchialium glandularum peculiaribus affectibus Pathologi tradidere; ex harum quippe diversarum partium laesione diversi morbi oriuntur, qui variam curationis methodum expostulant.

Notandum praeterea, organum istud vitali vi pollere, qua aërem alterne recipit, alterne expellit, tum etiam peculiari sensilitate gaudere, quorum omnium notitia ad complurium memorati organi laesionum caussas detegendas, atque ad remediorum actionem explicandam quammaxime conducit.

In hisce ergo tradendis primum de iis dicemus, quae peculiari virtute pollent, ut materies in pulmonibus contentas excutiant; quum enim muci redundantia, vel nimia ejusdem tenacitate oppletur pulmo, nullum expeditius, tutiusque saepe habetur auxilium, quam concitata spirantis systematis contractio ad materies in eo collectas expellendas, nempe ad expectorationem movendam. Quomodo autem id fiat, non ita facile est explicare, vix enim per chyli, et sanguinis vias traduci possunt remedia ista, quin eorum vis imminuatur aut immutetur, satius proinde videtur a continuitate membranarum, tum ab earumdem sympathia phoenomeni explicationem repetere.

Remedia autem, quae pulmonum contenta excutiunt, *expectorantia* dicta sunt, de quibus nunc disserendum. Haec vero aut ex minerali, aut ex vegetabili regno depromuntur, ac primo quidem:

EX MINERALIBUS.

§ I.

DE KERMETE MINERALI.

Inter egregias antimoniales praeparationes merito celebranda quae, initio saeculi decimioctavi, *Carthusiani pulveris* nomine ab ejus inventore Simone Carthusiani ordinis laico, et pharmacopola dicta est, dein *Kermetis mineralis* nomine inclaruit, quae nunc *oxydum stibii hydro-sulphuretum rubrum* appellatur.

Praeparatum istud iis generatim in casibus convenit, ubi contumax, molestaque tussis aegrotantem divexat, dummodo maciei, et febris hecticae symptomata absint, item in dyspnoea catarrhali, tum in peripneumonia, praemissis tamen opportunis venaesectionibus, ac praesertim versus morbi finem, ubi difficilis habetur expectoratio; in catarrhalibus quoque affectibus jure commendatur.

Varia est hujus praeparati administrandi ratio, quae reapse juxta varium praeparationis modum dirigenda. Generatim exigua dosi largiendum, nec ultra granum unum concedendum, quum sicca forma praescribitur, quippe fortiori dosi vehe-

menter ventriculi contractiones ciet. Miscetur autem utiliter cum oleosis, mucilaginosis, ac demulcentibus, tumque liquida forma cochleatim exhibetur. Sic ex. gr.

℞ *Kermet. miner. grana duo, olei olivar., vel amygdalar. dulc., vel semin. lini uncias tres. Syrup. Diacod., vel Alth., vel arundinis montanae unciam unam semissem, misce, cap. cochl.*; vel

℞ *Gumm. arab. drachmam unam decoct. Alth. vel flor. Malv. aut Tussilaginis, aut Violar. aut Verbasci uncias quatuor. Syrup. de Hibisco unciam unam. Kermet. miner. grana tria. Misce exacte, et dissolve, cap. cochl.*

EX VEGETABILIBUS

§. I.

DE SCILLA.

Ex liliacearum familia est *Scilla*, planta videlicet in Lusitaniae, Hispaniae, Siciliae etc. maritimis arenosis locis crescens, et *Scilla maritima* ideo a Linnæo nuncupata, cujus radix veteribus cognita fuit, valdeque usitata. Hujus in officinis prostant utplurimum squamae siccae,

oblongae, convexae, aridae, nervosae, rubro extus colore notatae. Frequenter tamen apud nos integri bulbi in altum suspensi servantur, e quibus germen quandoque erumpit, et loci, aërisque tepore evolvitur, ut florem prodat, quod, ubi fit, minus vis medicatae in scilla remanet.

Scillae radix haud nimium vetusta, crudaque manibus contrectata ustionis sensum excitat: odore nullo scatet, ejusque sapor nauseosus, et amaritiem cum acritate junctam praebet. Magna, ac par est, dosi intus sumta veneni adinstar agit, ventris quippe tormina, ventriculi, et intestinorum inflammationem cum gangraena producit, ac necem inferre valet. Caute ideo iis administranda, qui nimia nervosi systematis mobilitate praediti sunt, vel admodum fervido pollent temperamento.

Principia hujus radicis activa tam aqua, quam vinum, alcohol, et acetum extrahunt, omniumque ideo horum menstruorum praesidio varia fiunt ejusdem praeparata.

Licet pro diuretico summo habeatur scilla, inter expectorantia tamen merito a Practicis etiam collocatur. Hinc in catarrhalibus affectibus, in asthmate pituitoso, ac hydrope pectoris valdopere commendatur, dummodo tamen febris, aut hypersthenica diathesis absint.

Vario modo exhiberi solet scilla, vel enim in

pulvere, vel extracto ab uno ad duo grana datur; sed tutius est paullatinis iteratis dosibus exhibere ad nauseam vitandam; cui scopo saepe occurritur additione alicujus aromatis, zingiberis, cinnamomi, similium, tam sub forma pulveris, quam elaeosacchari, stillatitiae aquae, vel syrupi.

Nonnullae prostant hujus radicis praeparationes; usitatiores sunt *acetum scilliticum*, et *oxymel*. Prius quadraginta guttarum dosi in apto vehiculo, additisque aliis substantiis dari potest. Oxymel vero commodius, et efficacius praeparatum suppeditare videtur ad expectorationem praesertim movendam. Lotium quoque pellit, hocque facilius ii aegri ferunt, qui alia repudiant scillitica. Nitrum cum eodem saepe cum fructu sociatur; excipiturque vehiculo aquoso, et aromatico. Datur ad unciam unam.

Pilulae etiam scilliticae in officinis inveniuntur sat quidem efficaces, quarum unaquaeque duo, aut quatuor scillae grana continet.

Huic praestantissimae radici substitui apud nos posset radix *Colchici autumnalis* (*) Linn. ubique in pratis regionis nostrae obvii, cujus flores septembris initio apparentes hiemem praenunciant. Venenata licet et acris stirps sit, strangulationis

---

(*) *Colchique* gall. *Freidolina* vern.

sensum in faucibus excitans, ventriculi, et intestinorum inflammationem producens; tamen cl. STORCK illam in medicum usum convertit, docuitque ex uncia una radicis in aceti libra una digestae, duplaque mellis quantitate adjecta in oxymel convertere, cujus utilitatem magnam expertus est in hydrope, anasarca, atque in chronicis pectoris morbis ad mucum expellendum. Dedit initio ad drachmam unam, sensim aucta dosi ad unciam semissem, quae dosis, nisi profecerit, nihil amplius ab hoc remedio sperandum monet. Nos, etsi fidem cl. Viro non denegemus, cum sanioribus tamen Practicis credimus, tutiorem, efficacioremque esse scillam, et ideo periculosae huic substantiae praeferendam.

§. II.

DE POLYGALA VIRGINIANA.

Virginiae indigena planta est *Senega*, seu *Polygala Virginiana* ideo vocata, licet in Pensylvania quoque, et Marilandia crescat. Ea ad diadelphiae Linnaeanam classem pertinet, et *Polygala Senega* dicitur, cujus radix inodora, lignosa, ramosa, digiti circiter crassitie, nodosa, intus alba, flavescente, crassove cortice obducta tantum usuvenit; degustata acris est, amara, et aromatica.

Ex analysi chemica constat extractum aquosum copiosius esse extracto resinoso; dum tamen lignosa radicis pars eamdem resinosi, ac mucilaginosi principii quantitatem suppeditat.

Velut antidotum adversus lethiferos serpentum morsus ab Americanis habetur haec radix; sed magnam quoque celebritatem est consequuta ob eximiam resolvendi vim, quam in inflammatoriis pectoris morbis eidem tribuerunt, post aptam antiphlogisticam curationem, detractumque sufficienter sanguinem. Sputum quippe facilius reddere, ac vomitu, alvo, urinae profluvio, vel salivae fluxu mirum in modum profuisse testantur Auctores. Nimiae tamen laudes istae, saltem in regione nostra, ac licet convenire censeamus, huic uni remedio credendam curationem haud arbitramur, quod etiam non semper stomacho jucundum est.

Datur in infuso, vel decocto dosi unciae unius in libra una semisse aquae fontis ad residuum librae unius, sicque paratae decoctionis cochlear unum quaque hora sorbillandum exhibetur.

Cl. Desbois de Rochefort in sua materie medica sequentem formulam, ut expectorans efficacissimum, tradit.

℞. *Decocti aquosi Polygal. virgin. uncias quatuor. Oxymell. scillit. unciam unam.*

Gumm. ammon. in oxymelle soluti drachmam unam. Detur cochleare unum quave hora alternatim sumendum.

Raro in substantia datur polygala virginiana decem, aut duodecim granorum dosi.

Binae apud nos indigenae extant Polygalae species, quae radici Seneka succedaneae designantur. Earum una *amara* dicitur, et in plerisque vallibus nostrarum alpium non infrequens; alia *vulgaris* a Linnæo nuncupatur, et abunde in pratis non pinguibus, ac montanis siccis occurrit.

Polygala amara Linn. insignem habet amaritiem, praesertim in radice, cui inesse dicitur substantia aliqua resinoso-balsamica.

Potenter ea mucum expellere dicitur, et urinas movere, commendataque est ad phthisim pulmonalem, etiam quum sputa purulenta apparuere, jamque macies suborta est.

Debiliores autem vires habere videtur *Polygala vulgaris*, quae tamen et expectorationi promovendae, ac urinis ciendis valet.

Unciae unius pondere in aquae libra una semisse decoquuntur ad tertiae partis consumptionem; ac decoctum inde paratum vel solum, vel cum lacte datur. Dosis vero pro aegrorum tolerantia, morbique adjunctis solet accommodari.

In substantia quoque adhibetur, et pulverata dosi drachmae unius exhibetur.

§. III.

DE HYSSOPO.

Prae reliquis, quibus pollet virtutibus, cum labiatis stirpibus communibus, tonicis videlicet, et exstimulantibus, pectori praesertim dicatus nullo non tempore fuit *Hyssopus officinalis* L. in nonnullis Pedemontanis vallibus, ac in Nicaeensi agro non infrequens planta, suavi aromatico odore praedita, et sapore vehementi acri aromatico instructa.

Oleum volatile praebet, extractum aquosum, et spirituosum actuosissimum, acerrimumque.

Inter praecipua expectorantia habetur hyssopus, validumque ideo, in senibus praesertim, asthmate, sic dicto, humido detentis, praesidium; fidentius reapse his, ac juvenibus ob irritantem, et calefacientem ejusdem vim concedi potest; juvat praeterea iu catarrhalibus affectionibus, phthisi pulmonali, aliisque pectoris affectionibus, dummodo debitis cautelis adhibeatur.

Veteres quo mitiorem ejus actionem redderent cum ficubus, melle, et aqua hyssopum adhibebant; horum enim connubio mucilaginosum cum tonico junctum medicamentum habebatur in affectionibus pulmonum sat idoneum, et utile.

Extus applicitus sugillationes, et contusiones potenter discutit.

Infusum ex uncia una hujusce plantae in libra una ebullientis aquae, clauso vase, paratur, quod stillatitiae aquae praeferendum, cujus tamen frequens est in officinis usus pro vehiculo bechicarum potionum. Syrupus, et oxymel ex hyssopo parata in memoratis morbis cum fructu exhibentur.

§. IV.

DE HEDERA TERRESTRI.

Acris, amara, et subaromatica stirps est *Hedera terrestris* officinarum, seu *Glechoma hederacea* LINN. ad sepes, et ad vias umbrosis locis frequens, atque ex labiacearum familia. Foliorum infusum aquosum, quod rufescens est, intensiorem colorem a sulphate ferri acquirit; atque alcoholis ope extractum amarescens, et balsamicum obtinetur; quod vero aqua educitur blandam habet amaritiem.

Pectori quoque dicata multum a Medicis praedicatur hedera terrestris; ipsamque in phthisi etiam pulmonali valere, sunt qui autument; quam vim licet non adeo extollendam credamus, si praesertim vera, et confirmata fuerit phthisis, nec affectio tantum catarrhalis, cum qua interdum ab imperitis confunditur; tamen non spernendam plantam cum MORTONO, aliisque opinamur, in

catarrhalibus praesertim chronicis morbis utilem, ubi expectoratio sit promovenda.

Herba recens a manipulo uno ad duos; siccata ad manipulum unum in infuso adhibetur. Succus ab uncia una ad uncias duas datur saepe cum sero lactis commixtus. Syrupus de hedera terrestri ab unciis duabus ad uncias tres exhibetur.

§. V.

DE ENULA CAMPANA.

Pectori potissimum dicata, licet et aliis in morbis praestans est radix *Enulae campanae*, seu *Inulae Helenii* Linn. pluribus Pedemontanis locis secus fossas pratorum, et ad sylvas provenientis; haec suavi odore pollet, sapore calido, acri, amaroque. Oleo volatili scatet camphorato, ac principio extractivo. Continet insuper materiem salinam, et oleosam, cujus natura nondum satis perspecta.

Tonica virtute gaudet haec radix in ventriculi, et intestinorum atonia admodum proficua. Utilis etiam in morbis pectoris, quando movenda expectoratio est. Hinc catarrhalibus affectionibus inclinantibus, tum in morbis exanthematicis, ubi a centro ad peripheriam avocandi motus sunt, proficere traditur, necnon ad lochia, menses, et urinas cienda commendatur.

Datur in pulverem contrita a drachma semisse ad drachmam unam, vel radix unciae semissis dosi in aqua decoquitur, aut vino infunditur. Saccharo etiam condita comeditur ad stomachum roborandum. Extractum a scrupulo uno ad duos praescribitur, sed non semper tutum, validumque. Syrupus ex radicis succo, et saccharo compositus in pectoris affectibus et commodum, et utile medicamentum.

§. VI.

DE IRIDE FLORENTINA.

Quum in Italia, ac Florentiae praesertim exculta sit *Iridis* species, cujus radix in officinis medico usu servatur, *florentina* hinc vulgo dicitur, et a Linnæo eodem triviali nomine insignitur.

Sicca prostat haec radix, in frusta compacta, alba, compressa, ponderosa, variae magnitudinis, et inaequalis superficiei, cujus odor violaceus, sapor amarus, et acris diutius in ore permanens. Facile in pulverem albidum, ac farinaceum redigitur; ac nisi loco accurate tecto servetur, brevi a vermibus roditur.

Principium extractivum amarum, et leniter acre praebet.

Varia omnino hujus radicis actio esse solet, pro vario ejusdem statu. Recens enim acris admodum nauseam parit, et vehementer purgat. Siccata mitior est, et huic vires bechicas tribuunt, quibus in asthmate, ut vocant, humido, dyspnaea, similibusque prosit.

Pulvis naribus exceptus errhinum praebet; ore retenta radix salivam prolicit; nec raro ad cariem coërcendam inspergitur, ac tumoribus oedematosis discutiendis sacculis indita apponitur. Dentrificiis, pluribusque aliis ob odoris suavitatem et gratiam adjicitur.

In pulverem trita a granis duodecim ad grana viginti datur. Ingreditur varia praeparata, ut elixir pectorale Wedelii, aliaque.

§. VII.

DE TUSSILAGINE.

Ab omni tempore laudata, ac inter pectoralia medicamenta reposita est *Tussilago Farfara* Linnæi ubique locis humidis vulgatissima, subadstringenti principio scatens, quod sulphatis ferri praesidio, in radicis, foliorum, et florum infuso nigro reddito detegitur.

Flores praesertim scopo tussim leniendi etiam in phthisicis solent usurpari, ac morbis pectoris

auxiliari creduntur. Folia tamen actuosiora censentur, et adversus scrophulas a Culleno, aliisque valuisse traduntur, etsi nondum satis certum aliis visum medicamentum.

Dantur flores in infuso theiformi; syrupus quoque ex iisdem paratur, qui ab uncia una ad uncias duas exhibetur. Succus foliorum ab unciis duabus ad uncias quatuor praescribitur.

Alia est Tussilaginis species, quae *Petasites* dicitur a Linnæo, ac frequentissime in umbrosis, et humidis pratis montanis, ac subalpinis, necnon secus rivulos, et torrentes luxurians, quaeque activo magis scatet principio, acri, et subaromatico. Planta haec, licet minus usitata apud nos, tamen apta censetur ad sudorem propellendum.

Externo usu ad ulcera detergenda a veteribus praesertim usurpabatur.

Diligenter siccata radix datur dosi unciae semissis ad unciam unam, atque solet in decocto praescribi.

§. VIII.

DE BORAGINE.

Oleracea planta, nec immerito inter refrigerantes quoque recepta est *Borago officinalis*

LINNÆI (*) ad vias, et semitas non raro apud nos occurrens, ubique vero fere in hortis culta, debili odore praedita, sapore herbaceo subsalso.

Nitratem potassae continet borago, quem plures celeberrimi Chymici ex eadem eduxerunt; ejusque praesentia etiam manifesta fit, quum incisa herba carbonibus candentibus inspergitur, strepitu deflagrans.

Inter pectorales plantas nonnulli boraginem receperunt, ac in pleuritide, et peripneumonia commendarunt. Attemperans potius vis ipsi adscribi potest. Flores cardiaci praedicantur, sed immerito.

Datur succus ab unciis duabus ad uncias quatuor.

Parum nunc in usu est, multum olim celebrata planta, quae ab usu, quem praestare credebatur, *Pulmonaria* dicta fuit; debile admodum in pectoris morbis praesidium, unde fere exolevit.

§. IX.

DE LICHENE ISLANDICO.

Multiplex *Lichenum* familia nonnullas apud nos haud despiciendas species exhibet cum oeconomico,

(*) *Boras* ped. *Bourrache* gall.

tum medico usu commendabiles, quas inter recensendus *Lichen islandicus* (*) ita dictus, quod copiosissime in Islandia proveniat, eodemque in pulverem redacto, ac lacti incocto pro alimento utantur, sed frequentissimus quoque apud nos in montanis sylvis, maximeque subalpinis terrae, et lapidibus innascens occurrit.

Ex nonnullorum tentaminibus constat hanc plantam fere dimidia sui ponderis parte mucilagine constare, et exiguam admodum resinae proportionem continere. Amaram, et grate adstringentem substantiam in hoc lichene inesse observat Murrayus.

Plura sunt, quae hujus plantae utilitatem in phthisi, et mania ostendisse traduntur; non enim nutrire solum, sed et digestionis organa, et universum corporis habitum roborare creditur, et expectorationi in phthisicis favere, et tussim moderari, et alia praestare commoda.

Quoniam tamen acri scatet, et amaro principio (quae tamen in torrefactione imminuuntur) hinc non ita facile concedendus lichen hic in phthisicis, ubi vivida abdominis irritatio est, celer pulsus, arens, urensque cutis, omniaque gravioris febris symptomata se produnt. Corrigi

---

(*) *Cetraria islandica* Achar. *Lichenograph. univers. pag.* 512.

interim poterit hujusce lichenis amaror congruo aliquo syrupo, vel opiaceae praeparationes eidem adjici poterunt.

Datur lichenis hujus uncia dimidia in infuso, aut decoctione tam in aquae, quam in lactis libris duabus.

In pulverem quoque tritus, tum extracti forma dari potest; gelatum insuper parant, quod omnes lichenis islandici virtutes continet, cujusque sex cochlearia intra diem sumi poterunt, quae extracti puri ejusdem unciae uni aequivalent. Chocolata parata cum hocce lichene, trochisci, cremores, aliaque multa conficiuntur, ut gratior, jucundiorque ejusdem administratio aegrotantibus reddatur.

Consimiles praecedenti vires a medicis tribuuntur alteri lichenis speciei, quae ab usibus, quos praestare creditur in pulmonum morbis, *Lichen pulmonarius* (*) dicta fuit. Adstringentes reapse vires habet cum aliqua abstergente proprietate conjunctas. Laudatur in haemoptoë, nimio mensium fluxu; in ipsa etiam phthisi multum commendatus fuit.

Dari solet ex aqua decoctus a drachmis duabus ad unciam semissem. Qui quercubus innascitur, magis aestimatur.

(*) *Sticta pulmonacea* ACHAR. *op. cit. pag.* 449.

Articulus II.

De Refrigerantibus.

Refrigerantium remediorum titulo eas Medici intelligunt substantias, quae praeternaturalem corporis calorem solent temperare. Quoniam vero adauctus calor pene semper cum adaucta muscularis systematis actione conjungitur; medicamenta ideo, quae vitales memorati systematis vires imminuunt, corporis temperiem quoque evidenter moderantur, et refrigerantium nomen pariter obtinuere.

Remedia ista valdopere utilia, constanti Medicorum experientia deprehensa sunt in diathesi hypersthenica, ubi nimirum vasorum actio nimis adaucta, calor ingens, linguae, faucium, oesophagi ariditas, molestaque sitis aegrum divexant; conveniunt proinde in synocha, variola, morbillis, scarlatina, similibusque morbis cum memorata diathesi junctis. Nec male quoque in synochi initio, tum florente juventa, vel ubi calida nimis anni tempestas est, aut aestuosissima regio; provido quippe naturae consilio in hisce locis eas stirpes luxuriare cernimus suavissimos fructus incolis suppeditantes, quae validum corporis aestum queant compescere.

Non semper autem refrigerantium usum op-

portunum esse censemus, quum siti licet intensissima, vel calore nimis aucto aeger torquetur. Quandoque enim memorata symptomata cum hyposthenica diathesi occurrunt, et indirecta, ut ajunt, debilitate sustentantur, unde tonica potius praesidia requiruntur, quae ob congruum reapse, et optatum, quem producunt effectum, refrigeranti vi pollere a nonnullis creduntur.

Inter refrigerantia porro generatim a quibusdam reponuntur vegetabiles omnes substantiae, quod revera minus ac animales stimulum corpori addant; sed nos eas speciatim distinguemus, quae hocce singulari privilegio praesertim insignitae videntur; et primo quidem:

EX VEGETABILIBUS.

§. I.

DE GRAMINE.

Multum et olim, et nostris etiam diebus laudata *Graminis* radix, e qua usitatissima potio, seu ptisana communis parari solet omnibus fere morbis accommodata, et vulgo ipsi sat nota.

Ea autem habetur ex *Tritico repenti* Linnæi (*)

(*) Vern. *gramon*. Gall. *chiendent*.

in pascuis, et locis arenosis praesertim secus flumina nascenti, quae subdulcis est, et farinosa, alimentum etiam suppeditans. Succus ex eadem expressus ad fermentescendum valde pronus est, ac saccharum larga etiam copia continet; atque ex eodem optimus alcoholicus liquor educi potest.

Quin vires resolventes, aperientes, deobstruentes huic radici tributas hic memorem, id tantum dicam, ejus decoctionem potionem febricitantibus praebere familiarem, et innocuam, nec injucundam.

Datur succus ex emollita, et madefacta radice ab unciis duabus ad uncias quatuor, sed raro. Decoctio ex uncia semisse ejus radicis in libris duabus aquae fontis parari solet. Extractum graminis iners omnino, ac inane medicamentum.

Digitaria officinalis Wilden. in arvis, et pascuis regionis nostrae heu nimium frequens! eodem vernaculo nomine apud nos insignita ad eumdem usum adhibetur, sed minus succosa, ac praecedens.

§. II.

DE AVENA.

Graminacea quoque planta est *Avena sativa* Linnaei (*) in aridis, et montanis locis, qui-

(*) Vern. *biava*. Gall. *avoine*.

bus praesertim delectatur, exculta, cujus semina non alimenti modo, sed et medicaminis ergo insumuntur.

Potionibus refrigerantibus conficiendis inservit avena, necnon adversus scorbutum laudata.

Extus ad fotus, et cataplasmata resolventia paranda frequentissime usurpatur.

Decoctum ex avena paratum potum in acutis morbis idoneum suppetit. Avena decorticata *grutum* pro cibo sanorum praebens, copiosiori aquae copia incocta pro potu ordinario in febribus esse potest, aut juscula praebere et nutrientia et simul utilia.

§. III.

DE HORDEO.

Antiquissimum frumentorum omnium est *Hordeum* montanis potissimum locis apud nos excultum, quod *Hordeum vulgare* a LINNÆO dicitur (*).

Semen hordei integrum *crudum* appellari solet; ubi vero molendini ope cortice exutum est, *mundum* vocatur; quod vero mola sphaericam formam adeptum est, *perlatum* dicitur.

Amylaceam materiem abunde continet, sed

(*) Vern. *ordi*. Gall. *orge*.

caret omnino materie *vegeto-animali.* Vulgi alimentum est hordeum, hinc ad pulmenta sic dicta oeconomica ex cl. Rumfordii methodo inservit.

Maltum ex hordeo paratum, ac ruditer comminutum cerevisiae parandae adhibetur, quae opportunis additamentis potulentum efficit valde salubre, et sitim restinguens, antiquis haud ignotum, nostris vero temporibus etiam valde usitatum.

Hordeum interim tam crudum, quam mundum ad ptisanam in acutis morbis parandam, et apud veteres, et hodierna die maximo in usu esse solet; potio ista tepens assumenda, gratior vero, magisque refrigerans redditur plurium additione, ut succo citri, rob variae speciei, et berberidis, rubi idaei, aliisque.

Externo usu lotionibus, injectionibus, ac gargarismatis abstergentibus, et discutientibus vehiculum praebet. Farina hordei inter quatuor resolventes farinas recipitur, ac cataplasmatis forma admota emollit, maturat, et anodynam vim exerit.

Modus administrandi varius. Vel enim decoctum simpliciter ex hordeo paratum, vel decoctum compositum fit cum radicibus glycyrrhizae, graminis, jujubis, passulis, ficubus etc.

Syrupus quoque hordeatus, et cremor hordei

conficiuntur, tum saccharum, ut ajunt, hordeatum, quod pro mitiganda tussi usitatissimum exhibet praesidium.

§. VI.

DE ORYZA.

Optimum, pergratumque nutrimentum semen est *Oryzae sativae* (*) Linn., Carolinae indigenae plantae, ac nonnullis Pedemontanis locis excultae, nec inutile quoque multis in morbis medicamentum.

Amylaceam substantiam abunde continet hoc semen, non tamen adeo nutrientem sub eodem pondere, ac forma, quam triticum.

Potionem jucundam, utilemque praebet oryza in diarrhoeis, ac dysenteriis tam acutis, quam chronicis, ubi mucosae intestinorum membranae irritatio nimia est moderanda. In hectica febri, ac in affectibus catarrhalibus etiam laudatur; haud quidem scopo acrimoniam obvolvendi, ut vulgo traditur, sed ad stimulum in partibus leniendum.

Modus dandi, frequentior est in decocto, quod unciae semis oryzae rite lotae in aquae fontis

---

(*) Vern. *Ris.* Gall. *Riz.*

libris quatuor paratur, additis gummi arabici drachmis duabus, et aqua cinnamomi ad aromaticam gratiam impertiendam.

§. V.

DE SEMINIBUS MELONIS.

Mucilagine admodum scatent semina *Cucumeris Melonis* Linn., uti et quarumdam aliarum cucurbitacearum plantarum, quemadmodum *Cucumeris sativi*, *Cucurbitae Peponis*, et *Citrulli* Linn., *frigida majora* vulgo in officinis dicta, iisdemque viribus praedita.

Revera in febribus inflammatoriae indolis utiliter, et frequentius usurpantur.

Emulsiones ex hisce parari solent, quibus adduntur semina amygdalarum dulcium, et syrupus aliquis gratus. Adnotandum vero semina haec ad rancescentiam valde prona esse, hinc recentia esse adhibenda.

§. VI.

DE LIQUIRITIA.

Suavi dulcedine pollens radix *Glycyrrhiza* ideo dicta ex planta provenit, quae *Glycyrrhiza gla-*

bra (*) a LINNÆO vocatur, in Hispania, Italia, alibique crescenti, pluribusque in hortis culta, medicoque usu plurimum recepta.

Extractivo principio scatet haec radix, quae, ubi ejus infusum, quum sicca est, paratur, a ferri sulphate haud nigrescit, sed turbidum evadit.

Inter potentissima auxilia recensetur glycyrrhiza sedandae siti opportuna, unde hydropicis graviter sitientibus eximium solamen eadem masticata affert, ut antiquitas adnotavit, et hodierna experientia confirmat. Frequens ejus usus in tussi, raucedine, faucium asperitate, ac earumdem erosionibus, in nephritide, stranguria etc.

Ad hunc finem vel in pulverem datur, vel ex concisa radice theiforme infusum paratur; si autem decoquenda, haud diu protrahenda coctio, ne ob amaritiem inde natam fastidium pariat.

Succus, vel extractum liquiritiae in officinis prostat, quod dulcis saporis est cum leni amaritie. In tussi, ac reliquis pectoris affectibus solet vel per frustula ore liquandum retineri, vel aqua commixtum, vel opportunis aliis admixtum exhiberi.

Similiter pasta liquiritiae, bacilli, trochisci, et alia extant praeparata in memoratis morbis utilia.

(*) Vern. *argaliscia*. Gall. *Reglisse*.

Pulvis liquiritiae ad pilulas, et bolos obducendos, ad ingratum saporem corrigendum, tum ad faciliorem ingestionem efficiendam insumitur.

§. VII.

DE CICHORIO.

Magni aestimabatur, et frequens adhuc adhibetur apud nos *Cichorium Intybus* LINN. (*) ubique ad vias, et loca sicca proveniens, cujus principia nondum chemia satis hucusque detexit.

Velut refrigerans generatim habetur, ac in febribus acutis ad aestum temperandum usurpatur. Stomacho tamen grave est cichorium, nec ideo nimis facile concedendum, ubi idem jam per morbum infirmus est, aut iis, qui stomachi imbecillitate laborant.

Torrefacta radix, ac in pulverem redacta, ut coffeae succedaneum hodierno tempore adhibetur.

Radix, et folia cichorei vel in infuso, vel decocto dantur. Succus frequentius ad uncias tres, vel quatuor praescribitur.

Hujus plantae loco saepe apud nos *Taraxacum* adhibetur, seu *Leontodon Taraxacum* LINNÆI (**) ubique Pedemontana regione obvium,

---

(*) Vern. *sicoria salvaja.* Gall. *Chicorée sauvage.*

(**) Gall. *pissenlit.*

cui multae laudes, etsi minus recte, a Medicis tributae.

Potius *Lactuca sativa* (*) in hortis culta, ac in acetariis recepta; et *Cichorium Endivia* Linn.; quemadmodum *Portulaca oleracea* Linn. (**) ubique locis pinguibus occurrens, refrigerandi ergo usurpantur, juribusque carnium adduntur, ut minus tunc nauseosa, minusque nutrientia habeantur.

Memorandi hic essent flores *Nymphaeae albae* Linn. (***), plantae ad lacus frequentis, cujus aqua stillatitia plurimi adhuc facta, et ad febriles aestus coërcendos, et ad somnum conciliandum, licet viribus perdebilis. Dicendum quoque de gratis illis potionibus refrigerantibus ex malis citri, aurantiorum, baccis ribesiorum etc., sed haec notissima, nec ulterius hic loci tradenda.

Restat, ut potius de *acido oxalico* quaedam adjungamus. Hoc enim, ubi rite paratum est ad *limonatam* admodum jucundam conficiendam inservit; uti et illam, quae ab *oxalate acidulo potassae* cum saccharo obtinetur, refrigerans admodum, aegrisque nec injucunda.

(*) Vern. *laitua*. Gall. *Laitue*.

(**) Vern. *porslana*. Gall. *pourpier*.

(***) Vern. *nnféa*. Gall. *nénuphar*.

1.° *Acidum sulphuricum*, seu *vitriolicum*, *oleum vitrioli*, seu *acidum vitrioli concentratum* in officinis dictum, quod ea demulcendi liquidi copia diluendum, ut gratam aciditatem prodat; sicque jucundam praebeat potionem, quam *Limonatam mineralem* Medici appellant, ad sitim in morbis sedandam maxime proficuam exhibet.

Inservit quoque istud acidum similiter dilutum ad palato gratiores reddendas nonnullas amaras, injucundasque potiones, uti corticis peruviani decoctionem etc.

Idem pene dicendum de acidis *nitrico*, et *muriatico*, quae raro apud nos pura exhibentur, eo vel magis quod acidum sulphuricum sive aqua dilutum, sive cum alcohole junctum, et peculiari modo paratum commodius praestet medicamentum.

EX ANIMALIBUS.

§. I.

DE RANA.

Lacuum, stagnorumque oras apud nos incolit notissimum animal ex amphibiorum Linnaeano ordine, quod *Rana esculenta* dicitur. Hujus caro gelatinoso scatet principio magis fluido, minusque nutrienti ac illa, quae ex calidi sanguinis animalium carnibus obtinetur. Hinc jura ex ipsa parata ob refrigerantem maxime vim commendantur. Minus quoque exstimulant omnia pene jura ex albescentibus carnibus parata, ut jura ex coxa vitulina, juniorumque complurium animalium etc.

§. II.

DE SERO LACTIS.

Praestans admodum et potionis, ac remedii genus suppeditat lactis serum rite depuratum, et per chartam trajectum: modice quippe nutrit, temperat, urinas ciet, atque in febrili aestu nimio praesertim in morbis inflammatoriis pro potu largiter assumitur, ac nisi stomachus eidem repugnet, mirifice prodest.

Dari autem debet simplex, non vero distillatum, ut nonnulli suadent, quum hac ratione paratum, plerarumque licet stirpium additamento, tamen plurimum suae virtutis amittat, atque alienas sibi facultates assumat.

Pleraque salia neutra, uti sal canalense, vel epsomense, cremor tartari cum eodem junguntur. Interdum pulpae tamarindorum uncia una in libris duabus seri lactis dissolvitur, et tunc illud habetur medicamentum, quod *serum tamarindatum* in officinis dicitur. Pulvis quoque seri lactis a pharmacopolis paratur, fitque drachmis duabus salis lactis, uncia una sacchari, et drachma semisse gummi arabici. Dosis hujus pulveris in duabus aquae calentis soluti, seri lactis loco, adhibetur.

Articulus III.

De Demulcentibus.

Medicamenta, quae ad acria obvolvenda, et corrigenda, eorumque irritationem impediendam, et emendandam valere credita sunt, *demulcentia* appellavere Medici.

Horum actio praesertim in externis partibus usuvenit: licet intus sumta acrem humorum indolem moderari posse videatur. Huc spectant sequentia, ac 1.° ex animali regno:

DE MELLE.

Sagax et admirabile insectum ex Hymenopterorum Linnaeana classe, quod *Apis* (*mellifica*) *pubescens*, *thorace subgriseo, abdomine fusco, tibiis posticis ciliatis: intus transverse ciliatis* a LINNÆO designatur (*), in arborum cavis praesertim habitat, frequentius tamen cultum hospitatur; ibidemque producta suppeditat non solum oeconomico, sed medico usu praestantia. Haec vero sunt *mel*, et *cera*, quorum prius interno praesertim, externo alterum usu tantum dicatum est. De priori solummodo hic loquemur.

Praestantius mel est, atque in usus medicos eligendum, quod ex favis sponte exstillat, et *virgineum* inde vocatur; illud, quod torcularis ope, aut quavis alia expressione elicitur, minus probatur. Colorem album, vel flavescentem pro regionis diversitate referre solet, odorem habet sat gratum, ac saporem dulcissimum, aliquantisper aromaticum, praesertim si alpinis locis collectum fuerit. Caeterum qualitates, et principia habet saccharo valde aemula, ejusque defectum in pharmacopolis saepissime supplet.

Tam intus, quam extus adhibetur mel. Convenit in iis casibus, ubi puris, aut muci, vel

---

(*) *Syst. nat. vol. II, pag.* 955.

alterius cujuscumque humoris e pulmonibus excretio potissimum est promovenda; hinc tussientibus, pneumonicis, asthmaticis, pleuriticis, iisque pectoris morbis, ubi copiosus, et crassus mucus expellendus est, commendatur.

Non omnibus tamen subjectis convenit, quum ad acescentem fermentationem concipiendam pronum valde sit; hinc iis improbatur, quibus stomachus infirmus est, atque iis, qui acoribus primarum viarum obnoxii sunt.

Extus ad gargarismata recipitur in faucium vitiis, in cynanche, ut vocant, tonsillari; tunc enim vel solum, vel opportunis menstruis dilutum adhibetur; similiterque in ulceratas partes, puta aures, intestinum rectum, urethram, etc. utiliter injicitur.

Etsi mel saccharo succedaneum esse possit, et syruporum, aliarumque praeparationum, quae edulcorari patiuntur, basim quandoque constituat, nonnulla tamen ex eodem praecise fiunt praeparata. Hujus generis sunt: 1.° *oxymel scilliticum*, quod ex aceti scillitici parte una, et mellis optimi duabus partibus conficitur, de cujus viribus paullo ante diximus.

2.° *Oxymel simplex*; quod ex aceti vini fortis, et mellis optimi aequalibus partibus componitur, minus ac praecedens stimulans auxilium,

gratum tamen, refrigerans, et ad aestum nimium, sitimque compescenda perutile.

3.° *Mel rosatum*, quod ad ulcera abluenda tum gargarismatis, tum injectionis forma usurpatur.

Hydromel denique nihil aliud est, quam mel aqua remixtum, interdum etiam fermentatum, jucundam, ac refrigerantem potionem in acutis morbis exhibens.

EX VEGETABILIBUS.

§. I.

DE GUMMI ARABICO.

Quae in officinis *gummi arabici* nomine prostant subrotunda frusta, vel oblonga, variam magnitudinem habentia, pallide flava, rufescentia, fragilia, ac perlucida, ex trunci, ramorumque cortice liquida forma sponte promanant, et aëris contactu solidescunt. Habentur eadem ex arbore, quae *Acacia vera* a Wildenowio nuncupatur, in Arabia, Ægypto, aliisque locis excrescenti.

Praeter nutrientem insignem vim, quam possidet, Nigritis, Maurisque notissimam, quibus

gummi arabicum pro vulgari est alimento, medicam quoque exercet facultatem, ubi nimirum partes sunt ab acritate tuendae, nimiaque earum sensilitas moderanda. Hinc ad molestam tussim, asperamque ex irritatione ortam temperandam, tum ad acria in primis viis degentia obvolvenda, uti et in diarrhoea, et dysenteria, in quibus non modo sub potionis, sed sub clysmatis etiam forma gummi hoc opportune praescribitur. Item in blenorrhagia injectiones gummi arabici solutione factae, saturninis praeparatis, alumine, opio, aliisque pro casuum opportunitate adjectis, mirifice prosunt.

Ad solvenda, et aquae immiscenda varia corpora connubium cum aqua respuentia efficax est gummi istud; hinc olea expressa, et essentialia, balsama, resinae, pinguedines animales, mercurius ipse mucilagine gummi arabici subiguntur, et aqua miscibilia evadunt.

Raro pulveris forma datur a scrupulo uno ad drachmam unam, sed aquoso menstruo solutum porrigitur; hocque in casu uncia una gummi in libra una aquae, vel hordei decoctione, aliove consueto potulento, jusculo ipso soluta sat mucilaginosam praebet potionem, quae sacchar● edulcorata jucundior redditur.

§. II.

DE TRAGACANTHA.

Alia gummi species in officinis occurrit, *Tragacanthae* nomine, quae ex suffrutice obtinetur in Aragonia, ad maris littora Galliae australis, Siciliae, et Barbariae nascenti, *Astragalus Tragacantha* a LINNÆO vocato.

Gummi hoc subrugosarum laminarum forma intestinulorum adinstar contortarum advehitur, quae coloris sunt albo-fusci, odoris, saporisque expertes.

Iisdem usibus inservit, ac gummi arabicum, eademque praescribitur dosi. Adhibetur potissimum ad trochiscos, et pilulas conficienda; simulque aliis additur substantiis, quae acritate sua infesta esse possent.

§. III.

DE MALVA.

Non emollienti tantum scopo, sed et demulcenti vi celebris est *Malva sylvestris* LINN. (*) apud nos caeteris malvae speciebus usitatior, ad hortorum sepes, et loca ruderata ubique proveniens.

(*) Vern. *riondella*. Gall. *mauve*.

Inodora planta est malva, subdulci sapore praedita, ac principio mucilaginoso maxime scatens. Hinc ubicumque tensae partes sunt relaxandae, asperae leniendae, ac lubricandae, acres obvolvendae etc., valdopere proficit malva. Quapropter in catarrho, raucedine, asperaque tussi, in gonorrhoea, ubi praesertim mingendi difficultas urget, in renum doloribus, et vesicae tenesmo, ex calculi, aut acrium irritatione producto, in cardialgia ab acribus ingestis, vel ibidem degentibus inducta, aliisque morbis ventriculi a summa ejus irritatione fotis, gastritide etc. juvat.

Externo usu malva materiam praebere solet emollientium clysterum sive ad alvum ducendam, sive ad intestinorum dolores compescendos; nec minori frequentia in fotibus, cataplasmatibus, et balneis recipitur malva, tum ad partium tensionem laxandam, quam ad dolores mitigandos. Emollienti quoque scopo solet in varias partes, in os, aures, urethram etc. injici.

Folia leniter debent in aqua decoqui, ne inde parata decoctio nimis viscida mucilagine foeta stomacho gravis evadat. Flores ideo ob tenuiorem substantiam solent interno usu foliis anteponi.

Viribus omnino similibus scatet *Althaea offinalis* Linn. (*), seu *Hibiscus*, *Malvaviscus*, *Bismalva* officinarum, planta in pratis subhumidis,

---

(*) Vern. *avisch.* Gall. *guimauve.*

et ad fossas apud nos minime rara. Radix potissimum usuvenit, quae viscidiorem habet, uberioremque mucilaginem, e qua tabellae, atque pasta althaeae vulgo parantur, quarum usus in faucium asperitate, ac tussis stimulo leniendo vulgatissimus. Syrupus de hibisco usitatissimum quoque in memoratis casibus remedium suppeditat. Datur ab unciis duabus ad tres, et ultra.

§. IV.

DE JUJUBIS.

Rubrae drupae olivarum magnitudine, et forma sunt *jujubae* officinarum, quae ex arbore habentur meridionalium Europae regionum incola, *Zizyphus vulgaris* dicta a Wildenowio (*), et pluribus in hortis exculta.

Pulpam ii fructus habent saporis subdulcis, quae leniter attemperat, demulcet, et emollit; hinc in tussi, aliisque pectoris morbis ad stimulum leniendum decoctiones pectorales ingredi solet.

Easdem propemodum vires habent *Sebestenae* fructus ex arbore provenientes Ægypti, et Malabariae indigena, quae *Cordia* Myxa a Linn. nuncupatur. Dantur ut plurimum in decocto, quod quindecim, aut sexdecim ex hisce fructi-

(*) Vern. *susambrin*. Gall. *jujubier*.

bus cum anatico jujubarum numero in aquae libris quatuor conficitur, addita radicis graminis uncia una, decoctionem tunc protrahendo ad quartae partis consumptionem; glycyrrhiza quoque, hordeum, aliaque pro opportunitate poterunt sebestenis consociari.

Hic loci adjicienda pulpa quoque inter semina siliquarum *Ceratoniae Siliquae* LINN. (*) comprehensa, quae et demulcens, et pectoralis habetur; syrupus enim ex eadem paratus in tussi, faucium asperitate, morbisque pectoris multum laudatur. Arbor autem, e qua memorata pulpa elicitur circa Nicaeam, et in meridionalibus plagis occurrit.

Non omittenda demum ficuum pulpa, quae non solum edulis, nutriens, jucunda, ubi recens est, sed et exsiccata potissimum emollienti ac demulcenti vi insignis habetur, et decoctiones pectorales ingreditur.

Conferunt etiam sic exsiccati ficus ad maturandos tumores, et varia inde emplastra, ac epithemata ingrediuntur. Lacte infusi, eodemque impraegnati intra os retinentur in odontalgia, ac in ea cynanches specie, quae laxantia, atque suppurationem adjuvantia requirit.

(*) Vern. *caroube*. Gall. *caroubier*.

SECTIO SEXTA.

DE MEDICAMENTIS

SUPER DIGESTIONIS ORGANA PRAESERTIM AGENTIBUS.

Quemadmodum alimentis, potubusque recipiendis, quae hominum vitae sustentandae apta sunt, digestionis organa provido naturae consilio constituta fuere, ita et facultatem eximiam iisdem est impertita, qua ea, quae ipsis adversa sunt, rejicerent.

Quum vero facultas ista voluntatis imperio obnoxia non omnino sit, eapropter illa erant a medico inquirenda artis praesidia, quae eo organa memorata perducerent, sicque adjuvarent, ut, ubi se feret occasio, non modo digestionis opus absolverent, sed et se a noxiis vindicare possent, eoque modo ad pristinam redire integritatem, sicque officiis suis iterum fungi.

Adeo eximium munus praestant medicamenta illa potissimum, quae communi, receptoque *emeticorum*, vel *purgantium* vocabulo a Medicis designantur, quorum quidem tanta est virtus, tanta efficacia, ut non modo ad restituendam or-

ganis integritatem, alacritatemque inserviat, sed late etiam ad universam propemodum animalem oeconomiam extendatur.

CAPUT I.

DE EMETICIS.

Quae muscularem ventriculi contractilitatem attingunt, et excitant, contentorumque cum in hoc viscere, tum in oesophago, vicinisque organis expulsionem promovent medicamenta, generali *emeticorum* titulo insigniuntur.

Motus hic, quemadmodum cum universi corporis concussione peragitur, et ob peculiarem, qui inest ventriculum inter, omnesque humani corporis partes consensum, evidens est mutationes plures tum generatim, tum in iis praesertim partibus cieri, quae ad vomitum producendum concurrunt.

Hanc quippe actionem adjuvant imprimis diaphragmatis, ac muscularum abdominis consociata actio, quae vehementi ac convulsivae muscularis ventriculi tunicae jungitur constrictioni; ex quo fit, ut materies, quae versus pylorum diriguntur, retrogrado motu, seu antiperistaltico in oesophagum trudantur, atque per os dein eliminentur.

Patet hinc, cur emetica iis in casibus opportuna esse possint, ubi viscerum in thorace contentorum vires sunt erigendae, simulque bronchia, ac pulmonare systema expeditiora reddenda. Patet, cur abdominis viscera, jecur imprimis, vesicula fellea utili hoc concussu agitata uberius bilem effundant; tum splen, pancreas, renes, urinaria vesica, verbo, cuncta abdominis viscera majorem, minoremve compressionem, excitationemque ab emesi singula experiantur. Ex qua etiam compressionis efficacia consequitur, ut non modo in abdomine, sed et in universo circulationis tractu liberius humores circuitum suum absolvant.

Praeter hocce generales effectus ab excitanti emeticorum vi in memorata organa inductos alii sunt, qui ab analogia mucosae ventriculi tunicae cum mucosis aliarum partium membranis exurgunt, tum illi, qui inter ipsas membranas, et cutim intercedunt, quemadmodum ex anatomicis, et physiologicis institutis notissima res est, ac pervulgata.

Quamquam tamen ob multiplices, variosque effectus, quos in plerisque organis, eorumque functionibus salutaria esse possint emetica, fit tamen id non raro, ut in quibusdam casibus graviter noceant. Saepe enim vehementi concitata

irritatione in vitali complurium humanae oeconomiae systematum facultate innumerae turbae, et graves noxae inducantur, puta haemorrhagias, inflammationes, convulsiones, suffocationes, similia, quae ab improvido emeticorum usu suborta esse non raro observatum est, hinc quanta cautione sint praescribenda, habita prius sexus, aetatis, temperamentis, ac peculiaris systematis mobilitatis ratione, nemo non videt. Hinc quando morbus remedium hoc postulat, conditiones autem aegrotantis id respuunt, aequa lance expendendum quid potius sit; is casus est ad exemplum, quum periculum haemoptyseos, aut herniae, aut ubi ex peculiari ventriculi idiosyncrasia contingere potest, ut ventriculi contractione exsuscitata spasmi, convulsiones, et phlegmasiae etiam suboriantur. Caute demum porrigenda mulieribus uterum gerentibus, ne ob praessionem, ac ventriculi consensum gravia producantur incommoda.

Quae emeticorum administrationem praesertim indicant, sunt oris amaror, ejusque foetens halitus, cardialgia, lingua sordida, cibi fastidium, vomendi conatus, nauseae, ponderis, aut repletionis sensus in stomacho, nidorosi, rancidi ructus, singularis etiam cephalalgia, vertigines, caetera. Danda itaque iis in casibus, ubi a sabur-

rae praesentia mucosa ventriculi tunica vehementi irritatione divexatur, quemadmodum in iis febribus contingit, quas gastricas, vel biliosas, aut meningo-gastricas Nosologis dicere placuit, etsi non credamus caussam istarum febrium a saburrae praesentia esse, sed potius earum effectum, quae quidem magnorum Virorum opinio est.

Laudantur in iis febribus intermittentibus, quae *irritativae* a cl. RUBINI nuncupantur (*), quae tamen non adeo frequenter occurrunt, ut vulgo creditur, quippe praeconcepta hac opinione ducti Medici nonnulli censeant nunquam dandum corticem peruvianum esse, ni fuerint expiatae antea primae viae, et, quas inesse putant, sordes excussae. Caetero vacuantia, ubi sunt exhibenda, morbi initio potius, quam in ejus decursu propinanda sunt, apyrexiae tempore, et, si fieri potest, matutinis horis, quibus pacatior est corporis oeconomia.

Nec spernenda haec praesidia credimus in morborum hypersthenicorum initio, opportunis venaesectionibus, aqueoque diluente potu praemissis, maxime si delitescentis saburrae indicia se se praebeant, qui casus in pneumonia non infrequens a Practicis adnotatus est, in ea praesertim specie,

(*) *Sopra la maniera meglio atta ad impedire la recidiva delle febbri periodiche già troncate col mezzo della china china. Milano* 1805 §. 2.

quam sub absurdo *pleuritidis biliosae* nomine complures designarunt, ut tamen memores perpetuo simus ab incongrua emetici administratione in pectoris morbis fere semper lethalem consequi gangraenam.

Maximi denique usus esse possunt emetica, ubicumque vitali ventriculi actione adaucta, concitataque varia irritationis vitia alibi existentia sunt temperanda. Unde factum est, ut in plerisque fluxibus, dysenteria, diarrhoea, gonorrhoea leucorrhoea, in immodice fluentibus menstruis, similibusque opportuna inventa fuerint.

Saepissime quoque non vacuandi tantum scopo haec praescribuntur, sed etiam, ut irritatione in ventriculo excitata commotio ad alia affecta, dissitave loca propagetur, ut in quibusdam cerebri laesionibus contingit.

Emeticorum actionem adjuvat aqua tepens large epota, quae ob blandum calorem incitantem vim adauget, suique copia distendens ventriculum evacuandi molestias minuit, quae inani eodem, vel paucis materiebus onusto sunt graviores.

Quae autem ex emeticorum usu sequuntur phoenomena, ut humorum vacuationes, pulsus parvus, debilis, virium dejectio, pallidus faciei color, sudor, maxima non in solo tantum ven-

triculo, sed in universo corpore sensibilitas debilitantem eorum actionem ostendere videntur, unde non immerito ad infirmantium classem memorata referuntur praesidia, ac in eorum censum complectuntur, quae *controstimuli* a cl. Borda materiei medicae Professore Ticinensi celeberrimo nuncupantur.

Quum vero nauseae, inanes vomendi conatus, aliaeve ab assumpto emetico turbae in ventriculo extant, vel indirecta, ut inquiunt, debilitas a nimio emetici stimulo producta est, tunc ad valida incitantia, laudanum liquidum, liquorem anodynum mineralem Hoffmanni, opium; vinum, theriacam, mitridatium, electuarium Diascordii Fracastorii, et similia confugiendum.

Potentissima emetica suppetit minerale regnum; optima quoque praebet vegetabile, ut ipecacuanham inter exoticas stirpes, asarum, violarum indigenas aliquot species, de quibus modo disserendum.

§ I.

DE IPECACUANHA.

Quae in officinis *ipecacuanhae* simpliciter nomine venit radix tum ex *Psychotria emetica* Linn. in Peruvia nascenti, cum ex *Callicocca Ipecacuanha cl.* Brotero, stirpe nimirum Bra-

siliae incola obtinetur. Ea dilute fusca est, gracilis, varioque modo contorta, prominentibus annulis aspera, medulla intus lignea, fili adinstar praedita, e qua friabilis, haud aegre separandus cortex habetur, cui emetica praecipue vis tribui solet.

Huic odor gravis, et nauseosus est, sapor amaricans, dumque conteritur nares, oculi, ac pulmones ipsi adeo irritantur, ut nisi quis ab ejus caveat stimulo, sternutationes, ophtalmiam, similia progignat.

Licet Chymici resinoso, ac gummoso tantum principio hanc radicem constare scripserint, recentiorum tamen subtilior, et accuratior analysis docuit acidum quoque vegetabile, quod calorici vi decomponitur, continere; tum diversa salia basi calcarea; ac demum tam corticalem, quam ligneam ejus partem eadem fere principia praebere, ita ut indiscriminatim medico usu alterutra queat adhiberi.

Velut tutius, aptiusque emeticum habetur ipecacuanha, quum exigua dosi vomitum cieat, nec majori etiam dosi exhibita ea pariat incommoda, quae a valentioribus emeticis produci queunt. Crebrius itaque scopo vomitum ciendi in usum venit, darique etiam praesente febre potest, quoniam irritationem multam haud in stomacho relinquit, ubi maxime rite fuit usurpata.

Tamquam dysenteriae specificum a Medicis habebatur, et ad ipsam, velut ad sacram anchoram, in tam diri saepe morbi curatione confugiebant. Verum nec eidem, ubi praesertim inveteratus est, curando succurrit, nec ejus generis medicamenta dysenteria requirit, nisi affectio haec cum gastrica labe fuerit conjuncta, aut stimulo suo alvum relaxando morbum leniat, quod beneficium alia aeque praestant emetica.

Sunt, qui habita ratione ad ipecacuanhae efficacitatem, quam exerere videtur in mucoso textu, tamquam utilem admodum dixerint in convulsiva puerorum tussi; tum ad languentem ventriculi vim erigendam; et ad mucosas, viscidasque ibidem haerentes materies, in provectiori praesertim aetate genitas, antiperistaltico motu excitato, eliminandas.

Nonnulli insuper dandam in puerperali febre censuere, dummodo non sit cum hypersthenica diathesi juncta, nec in iis foeminis locum habuerit, in quibus nervosa mobilitas nimia est.

Alicujus vero utilitatis esse posset in haemoptysi, asthmate, et volvulo, refractis dosibus porrecta, ac demum in suppressis menstruis revocandis, illud tamen prae oculis habentes tam in superius memorato, quam in hisce postremis morbis summa cautione semper esse ministrandam.

Datur in tenuissimum pollinem redacta a granis duodecim ad scrupulum unum. Minori vero, et refracta dosi, ubi nauseae tantum, aut vomiturítiones sunt concitandae. In infuso a drachma semisse ad drachmam unam exhibetur.

Tabellae quoque in officinis prostant, quae fiunt saccharo, ac mucilagine gummi Tragacanthae. Hae dantur paullatim sumendae tum ad stomachi contractilitatem excitandam, tum ad pravos ibidem haerentes succos excutiendos.

Ingreditur ipecacuanha pulverem Doweri apud Londinenses usitatissimum, cujus formula haec est:

℞ *Opii*, *Ipecacuanhae*, *a. gr. duo. Tartari vitriolati*, *Nitri a. gr. viij. Misce*, *fiat pulvis*, *qui pro unica dosi exhibendus praecipitur.*

Ut efficax sudorificum pulvis hic commendatur, soletque sudor stragulis in lectulo, copiosaque calida potione magis magisque promoveri.

§. II.

DE VIOLA.

Quum mox allata ipecacuanhae radix officinalis ex *Violae* specie quadam, *Ipecacuanhae* nomine a Botanicis cognita, et Brasiliae indigena obtineri plurimi contenderint, factum proinde,

ut nonnullarum Violae apud nos occurrentium stirpium vires exploraverint; quod cum obtinuerint, ipecacuanhae ideo eodem fere cum eventu substitui posse crediderunt. Has inter memorant praesertim *Violam odoratam* L. ubique crescentem, et *caninam* L. (*) in sylvis apricis et caeduis collium et montium obviam, quarum radicem medico usu insumserunt.

Ast adnotare praestat, incertum admodum earum effectum, neque analysim quidpiam hucusque sat accurrate nobis ostendisse, quod tantas a nonnullis tributas virtutes spondeat.

Potius emollienti scopo vulgo flores solent adhiberi, eorumque cum calycibus expressorum succus leniter alvum movet absque incommodo. Ex seminibus contritis emulsio parari potest leniter vomitum, et alvum excitans. Syrupus violatus recens paratus, et convenienti dosi porrectus alvum blande sollicitat, necnon in morbis pectoris ad tussim leniendam cochleatim sumendum exhibetur.

Radix pulverata datur a scrupulis duobus ad drachmam unam, vel duas in unciis sex aquae fontis leniter incocta ad residuum unciarum duarum apto syrupo edulcorata.

(*) *Violette* gall. *Violeta* vern.

§. III.

DE ASARO.

Pluribus Pedemontanis umbrosis locis delectatur *Asarum europaeum* L. (*), acris et amara planta, suisque proprietatibus *Helleboro nigro* multum affinis: principiis tamen fortioribus, et copiosioribus gaudens in radice. Haec enim et aromatici quidpiam habet, vehementiusque linguam feriens, ac oleum essentiale, et materiem camphoratam destillatione praebere fertur.

Folia, et radix veris initio, vel autumnali tempestate lecta multam cum *Ipecacuanhae* effectibus habent analogiam; minus tamen constans remedium, a quo saepius alvus movetur, aut nullo excitato vomitu, cathartica potius vis tantum exeritur. Tamen inter indigena *Ipecacuanhae* succedanea solet a multis haberi.

In contumacibus porro intermittentibus febribus, ac in quartana praesertim febre summae efficaciae praesidium aestimatur. Lotium quoque movent asari radices, et hydropicis profuisse visa sunt. Emmenagogam virtutem nonnulli asaro tribuerunt, quod non satis observationibus comprobatum.

Dantur folia in infuso numero vj aut viij,

(*) *Cabaret* gall.

Radix in substantia a scrupulo uno ad scrupulos duos praescribitur; in infuso a drachma una ad drachmas duas. Diu incocta et emeticam, et catharticam vim amittit.

Inter errhina collocatur asarum; ejus enim pulvis, aut succus naribus attracta efficaciter mucum e pituitaria membrana eliciunt.

Addi hic loci poterunt radices *Paridis quadrifoliae* L. in sylvis umbrosis collium Taurinensium, et subalpinorum montium crescentis, quae in pulverem contritae a granis XXX. ad L. a nonnullis exhibentur, quamquam veneni suspicione haud careant, adeoque prudentis medici sit potius ab iisdem abstinere.

Nec desunt vires istae emeticae in pluribus *Euphorbiae* speciebus, sed acribus nimis, ac suspectis plantis, quas ideo nonnisi summa cautione, aut aliorum praesidiorum defectu, robustisque subjectis licet adhibere. Idem dicito de *Plumbagine europaea* a WEDELIO *Ipecacuanha nostrate* dicta, acri admodum, et caustica planta, externo potius usu dicata.

EX REGNO MINERALI.

DE TARTARO EMETICO.

Postquam illustris Vir Adrianus Mynsicht *tartari emetici*, seu ***stibiati*** notitiam anno 1631 primus tradidit, tantique remedii proprietates sedulo scrutatus est celeberrimus Upsaliensis Professor Bergmannus, ac nuperrimi denique Chymici accuratiorem ejusdem remedii praeparationem et naturam inquisiverunt, tutius ejus vires medicae innotuere, magnoque cum successu nunc in plerisque debellandis morbis adhibetur.

Constat siquidem sal triplum esse, seu tartratem potassae, et antimonii, cujus parandi modum tum apud cl. Fourcroy, tum in recentissimorum Chymicorum scriptis videre est.

Quum rite paratum habetur, in crystallos tetraëdras regulares, aut triangulares pyramides, vel octaëdras alumine magis oblongas se sistit, album est, fragile, acri sapore pollet, ab aëris attactu effloreseit, ubi tartratem calcis continet.

Id autem plurimi interest medico scire tartarum emeticum ab aqua communi, quae vel carbonatem, vel sulphatem calcis continet, decomponi; hinc ubi solutum dandum est, in stillatitia

aqua solutionem esse perficiendam, et si pura aqua fuerit, tunc limpida omnino se se praebet solutio.

Aliae insuper substantiae sunt, a quibus tartarus emeticus decomponitur, uti potassa, soda, ammoniaca, terrae, salia ex hisce basibus composita, oxyda metallica, et acida. Ex quo consequitur, memoratas substantias nunquam cum isto sale misceri a perito Medico, qui accuratas observationes de hujusce proprietatibus, et effectibus instituit.

Sal hoc denique decomponitur a corticis peruviani decoctione, a succis plantarum, a decoctionibus lignorum extractivis, a radicibus, et corticibus adstringentibus, ac virtutem emeticam amittit. Hinc patet, quam apte cl. Berthollet ad malos effectus, qui ex nimia hujusce remedii dosi incaute ventriculo excepta oriri queunt, tollendos, decoctionem chinae chinae protinus sumendam proposuerit.

Ob emeticam vim, quam exerit praeparatum istud eximium, patet, cur in febribus, quas *gastricas*, vel *biliosas* dicunt, praesertim conveniat, dummodo nauseae, vomendi nisus, quae in harum febrium ingressu observantur, haud a vehementi organorum digestioni inservientium constrictione producantur. Id quoque commodi praestat remedium hoc, ut validius, tutiusque

ac *Ipecacuanha*, purgantem actionem exerat, quod in quibusdam casibus, et in dysenteria ipsa admodum utile deprehensum est.

Datur quoque non modo scopo emesim ciendi, sed et ad removendos, exturbandosque fluxionis motus, qui versus cerebri organum impetu diriguntur, quemadmodum in apoplecticis affectibus evenit; cum ad excitandas vitales vires, quae in aliquibus partibus plurimum languent.

Quum itaque remedium istud caeteris emeticis validius exstimulet, ventriculum magis a contentis exoneret, neque ob saporem ulli invisum esse soleat, et in exigua aquae copia perfecte solubile sumi facile queat etiam ab illis, qui gustu, halituque nauseosa omnia aversantur; hinc evidens est, cur reliquis palmam praeripiat, nostrisque maxime diebus frequentissime prae caeteris usurpetur.

Dosis communis est granorum duorum ad quatuor usque in tribus aquae cyathis. Dimidia pro infantibus, vel mobilioribus mulieribus sufficit. Major aquae dosis ejusdem remedii vires imminuit, ac alvinas potius movet evacuationes.

Additur quandoque aliis remediis, et potissimum *Ipecacuanhae*, ubi effoeta est, ad eorum vires acuendas; etsi mucilago ipecacuanhae tartari emetici vires enervat.

CAPUT II.

DE PURGANTIBUS.

Medicamenta, quae ore sumta, ac in digestionis vias transmissa peculiari ratione muscularem intestinorum contractilitatem exsuscitant, ac materies proinde in ipsis contentas per alvum valent evacuare, *purgantia* generatim nuncupantur. Inverso haec agunt modo ac emetica, motum scilicet peristalticum adaugendo.

Quivis immensum tam exhalantium, quam inhalantium vasorum per intestinorum tractum numerum considerat, tum multiplices cryptas, e quibus mucus ipsa obliniens intestina continuo secernitur, ac denique ingentem nervorum copiam, eorumque cum reliquis corporis partibus consensionem; is facile percipiet, cur, concitata a purganti remedio intestinorum actione, uberior muci secretio consequatur, perinde ac ab errhinis in naribus, et a sialagogis in ore contingere adnotamus.

Juxta variam autem humorum speciem, quam peculiariter attrahere, vel educere veteres credebant, purgantia distinxerunt in *cholagoga*, quae scilicet ex alvo flavam ducerent bilem; in *melanagoga*, quae nigram, seu atram bilem;

phlegmagoga, quae pituitam; *hydragoga*, quae lympham; *panchymagoga*, quae omnium humorum corpori noxiorum expulsionem prolicerent. In tanta, qua nunc versamur, physiologiae luce, tantoque observationum rite institutarum numero; in tam multiplici, qua nunc abundamus horum medicaminum copia, haud licet hanc veterum doctrinam recipere; inesse tamen in ea veri aliquid, observarique diversitatem aliquam in eductis, purgantium ope, humoribus pro remedii diversitate, observatio accurata demonstrat.

Purgantia dividuntur in *lenia*, et *fortia*; quod discrimen licet exacte persequi difficillimum sit ob variam adeo intestinorum sensilitatem, aliasque caussas; receptum tamen apud Medicos est substantias dari, quae mitiorem, alias, quae vividiorem purgandi facultatem exerant. Sunt etiam qui priora topicam tantum actionem exercere, dum cathartica, seu drastica et topice, et consensu agere contendant.

Purgantium tantus, tamque improbus fieri solet generatim abusus, ut fere vulgus censeat divinam medendi artem totam iu purgatione consistere, quod poëtis medicos, et medicinam irridendi ansam non semel praebuit. Non enim credendum, quoties copiosior humorum affluxus a speciali saepius intestinorum irritatione productus adest,

nunquam a purgatione esse cessandum, eo praejudicio ducti non posse integram valetudinem restitui, ni prius fuerint omnino isti humores vacuati. Qui enim hac ratione operantur, graviora reddunt, et saepe insanabilia morbi symptomata; quod tunc remediorum tribuere solent inefficaciae, dum propriam tantum culpare deberent imperitiam.

Signa igitur indicanda, queis generatim Medicus agnoscere possit quando purgantia sint adhibenda. Hujusmodi sunt ponderis sensus in epigastrio, molestaque abdominis, maximeque hypochondriorum tensio, ructus, flatus, ventris tormina; quibus addenda, quae gastricae saburrae praesentiam in primis viis ostendunt, ut halitus oris foetens, lingua sordibus onusta, digestionis, aut coctionis vitia; item alvus adstricta, vel solito fluidior; foeces pravae indolis; jecinoris, splenis, aut mesenterii infarcti signa, tum alia permulta gastricam universalem diathesim demonstrantia.

Caute tamen adhibenda, imo potius ableganda censemus, acriora praesertim purgantia, ubi morbus ab adaucto pendet incitamento, quippe in morbis hypersthenicae indolis, eorumque praesertim initio a sanioribus Practicis jure damnantur validiora purgantia, etiamsi morbosa collu-

vies iisdem fuerit adjuncta. Neque etiam congrua sunt, ubi menstruorum, lochiorum, vel haemorrhoidum fluxus protrahitur, in imminenti crisi, quae per aliam potius, ac intestina, viam futura sit, verbo in iis omnibus casibus (quos longum nimis foret singulos enumerare) ubi ex peculiari natura, propriisque morborum caussis praesidia ista prohib- ıtur.

Ob summam, quam inesse diximus, intestinorum cum reliquis partibus sympathiam abunde liquet, cur purgantia, uberiori accito humorum ad intestina affluxu, tum advocata magis, dixerim, ad ipsa organa vitali vi, in nonnullis cerebri affectibus, ut apoplexia, epilepsia, quemadmodum etiam in visus, et auditus laesionibus utilia admodum esse possint. Ex eo pariter consequitur, quum pulmones, et bronchia mucoso, viscidoque humore sunt obsita, unde molestissimae tusses, ac chronicae catarrhales affectiones contumacissimae exoriuntur, memorata remedia, tum evacuatione humorum inducta, tum praesertim irritatione in intestinis facta eam saepe perturbando, quae in affecto organo existebat, levamen aliquando afferre visa sint; cavendo tamen, ut ab irritantibus abstineamus. Hac demum ratione explicatur, cur adeo frequenter in cutaneorum morborum curatione felici cum eventu adhibeantur.

Plura animadvertenda sunt ante purgantium administrationem, relate ad aetatem, sexum, consuetudinem, peculiare vitae genus, regionem, etc. Ea quippe minus senibus opportuna, dum infantibus, qui adeo cruditatibus imi ventris, vel aliarum partium infarctubus obnoxii sunt utplurimum prosunt.

Caute quoque mulieribus porrigenda, semperque prae oculis habendus uteri status, quum ejusdem visceris functiones tantum in oeconomia animali imperium habere compertissimum sit.

Efficaciora interim danda, potentioraque agrestibus hominibus, qui tamen non raro, quum inopia conflictantur, instaurantibus, tonicisque praesidiis rectius, quam vacuantibus curantur.

Varius denique esse debet modus, quo purgantia exhibenda sunt, prout vario climate, aut anni tempore, tum prout rura, aut urbes inhabitant, aperto coelo, vel umbrosis locis degunt, planitiem, aut montes incolunt etc.

Purgantibus succedere debent clysteres, qui licet in vitales tantum crassorum intestinorum potestates immediate agant, utilius tamen, ac commodius saepe praestare queunt medicamen ac purgantia. Quum vero eorumdem intestinorum actio expellens potissimum sit, hinc, eadem languente, vel ubi excrementorum praesentia requi-

rit, ut e corpore ejiciantur, substantiae tunc idoneo menstruo solutae, ac in rectum intestinum immissae, muscularem harum partium contractilitatem concitant, necnon foecum promovent expulsionem.

Prout ex vario remediorum genere parantur clysteres, vel emollientes sunt, vel stimulantes, sedantes, nutrientes etc. Priores ex decoctis stirpium, quas emollientes dicunt, ut malva, althaea, parietaria, ex seminibus lini, similibusque, ex lacte, oleo conficiuntur. Conveniunt in iis casibus, ubi laxanda sunt intestina, ut sic duriorum excrementorum descensus, exitusque facilior obtineatur.

Emollientibus clysteribus interdum anodyna adjiciuntur, quorum effectus ad proximas, dissitasque etiam partes propagatur, puta in vesicae morbis, in podagrae insultibus, in hysteria, hypochondriasi, nephritide, in acutis febribus, similibusque casibus, in quibus non solum intestinorum functiones expeditiores reddunt, sed aliarum etiam partium turbas sedare valent.

Stimulantes clysteres tum ad alvum ducendam, tum ad intestina acriter stimulanda usurpantur; primumque inter hosce locum tenet foliorum *Nicotianae Tabaci* Linn., combustorum fumus, caute tamen administrandus, quum vomitum saepe,

vertiginem, lypothimias, aliaque hujusce generis incommoda pariat, etiam quando opportune, riteque adhibitus est. In colicis doloribus, ubi alia incassum tentata remedia sunt, peristalticum motum ciendo, ac foeces expellendo optimum auxilium solet exhibere.

Sedantes, vel anodyni ii habentur clysteres, qui opium recipiunt, de quibus modo jam diximus; ii vero, praeter memoratos casus, conveniunt in doloribus, vehementibusque vicinarum partium cruciatibus, tum in contumacibus ipsis alvi fluxibus sistendis, in iliaca passione, nec non in cholera-morbo.

Quum vero ex morbo difficilis est deglutitio, aut vix ullam ferre substantiam potest ventriculus, nutrientes clysteres adhibemus, qui recipiunt jura pinguia, gelatinam, lac, ovi vitellos, similia, quorum ope aegros reficere conamur.

Etiam clysterum ministerio febrifuga administramus remedia, nempe cortice peruviano, vel amaris, tonicis substantiis ano immissis, quum aeger vel ob peculiarem idiosyncrasiam, vel ob praecipitem occasionem, vel ob aliquod impedimentum opportunam memorati corticis dosim ore nequit assumere.

Neque his solis subsistit clysterum actio: ob-

servatio docuit acriores clysteres utilem actionem in remotissimas partes inferre, in caput praesertim, utiliterque ideo in sopore, apoplexia immissos fuisse.

Cavendum tamen, ne post pastum clysteres imponantur, quum digestionis opus ea occasione perturbent; neque etiam ob consimilem caussam statim ab assumptis clysteribus alimenta capiantur.

PURGANTIA BLANDA.

EX REGNO VEGETABILI.

---

§. I.

DE CASSIA.

Legumen oblongum unius, aut duorum pedum longitudine, quod ex arbore habetur in utraque India, ac Ægypto crescenti, *Bactyrolobio Fistula* a Wildenowio dicta (*), pulpam occludit nigram consistentia mellis, dulcem, jucundamque, *cassiae* simplici vocabulo in officinis cognitam, et medico usui dicatam.

Constat haec juxta recentiorum Chymicorum analysim materie parenchymatosa, gelatina, glutine, gummosa parte, extractivo principio, ac

(*) *Enum. plantar. hort. bot. Berol. vol. I. pag.* 440.

saccharo; quae omnia combustionis ope varias materies salinas praebent.

Maximi apud nos usus est pulpa cassiae, quae vel recenter extracta, vel in conservae modum coctione parata tamquam eccoproticum egregium in morbis inflammatoriis, febribusque cum nimio aestu junctis habetur. Hoc tamen remedium dulcedine sua nauseam non raro creat, nec sine torminibus, aliisque incommodis alvum laxat, adeoque ipsum tantae utilitatis vix esse credimus, ut plerique adeo fidenter contendunt.

Cassiae succedaneum remedium exhibet prunorum pulpa, ut recte animadvertit Cullenus, quae ex *Pruni domesticae* Linn. fructibus in aqua coctis, demtisque nucleis, addito saccharo, aut melle paratur, quin tantam cieat nauseam, et promptum, facileque suppeditet ubicumque praesidium, cujus vim acuere quique potest, additione foliorum sennae, vel tartari emetici, similiumque.

Cassiae vero improbamus usum in synochis, typhisque, ubi praesertim abdomen valde tensum est, inersque alvus ducenda videtur. Neque multum eidem fidendum in biliosis ita dictis affectibus, quum diarrhoea a similibus remediis aliquando suborta pejorem reddat morbum, et interdum lethalem efficiat.

Conserva cassiae lenissimum praebet remedium, quod vespertinis horis sumptum mane sequenti alvum movet; sed saepe immixta jalapa, vel drasticis aliis adulterata tormina ciet, et nocet.

Cassiae dosis est ab uncia una ad unciam unam et semis, soletque opportuno vehiculo dissolvi, adjecta aromatica substantia, ne nauseam, ac tormina producat. Conserva cassiae ad unciam unam praescribitur ante cubitum sumenda.

§. II.

DE MANNA.

Etsi variae arbores sunt dulcem, atque caloris vi concretum succum, *Mannae* nomine cognitum largientes, de eo tamen nos hic solummodo dicemus, qui ex Sicilia, vel Calabria e *Fraxino Orno* L. extillat, ac in grumos advehitur irregularis figurae, ex albido flavescentes, saporis dulcis, paullisper nauseosi, in aqua praesertim calida, ac in alcohole solubiles.

Quidquid hucusque innotuit relate ad mannae principia, nos tantum edocet maximam cum saccharo habere analogiam, magnaque copia hocce principium ex eadem facile educi.

Tutissima huic substantiae alvum laxandi potestas jure tributa; quapropter in morbis hyper-

sthenicis, peripneumonia, catarrho, similibus commodum remedium sistit, quod variis potionibus solvi potest; idoneisque liquoribus palato accommodari, ut gratior reddatur, utque ne delicatulis nauseam moveat; solet vero ejus virtus amarorum salium, Rhei, Sennae etc. additione actuosior reddi.

Est autem ad fermentescendum valde prona manna; hinc ubi flatus adsunt, tum ventriculi, ac intestinorum laxitas, vel debilitas conjunguntur, minus probatur, nisi simul aromatica, leniterque stimulantia ipsi consocientur, ut semina anisi, foeniculi, aqua cinnamomi, similia.

Datur manna ab unciis duabus ad quatuor vel quinque, quam dosim non ita facile ferre queunt aegrotantes, inflatione inde suborta, evolutoque acido. Opportune ideo amara salia ipsi adjicienda, ut sulphas magnesiae, vel sodae, item in sennae, vel rhei infuso praebenda, ut sequentes formulae docent:

℞ *Mann. el. Calabr. uncias duas dissolve in ebull. drach. unius Rhab. el. facta in aq. comm. cum correct. f. p. cap.*; vel

℞ *Mann. el. sal. angl. vel canal. a. unc. unam, solve in aq. colat. unciarum sex. detur.*

§. III.

DE TAMARINDO.

Subnigra, densa, grateque acida pulpa, quae ex legumine obtinetur cujusdam arboris in India orientali, Ægypto, calidiorique America nascentis, *Tamarindus indica* a Linnæo dictae, quum probe defoeccata est, ac per setaceum cribrum trajecta eccoproticum suppeditat commodissimum, praesertim in febribus hypersthenicae indolis, ubi molesta simul temperanda sitis.

Cavendum quammaxime, ne cupreis vasis eadem servata sit; acido quippe principio suo vasa corrodere potest, et deleteriam tunc indolem acquirere.

Solvitur facile in aqua, vel sero lactis, ut superius innuimus, unde *serum lactis tamarindatum* paratur in memoratis casibus perutile.

Ingreditur electuarium lenitivum, usitatissimum laxans remedium, quod ad unciam unam porrectum blande alvum sollicitat.

Dosis tamarindi est ab uncia una ad unciam unam cum semisse. Rheo, cassia, senna, aliisque jungi quoque patitur.

§. IV.

DE CREMORE TARTARI.

Vinosae fermentationis productum est salis species, quae notissimo nomine *Cremoris tartari* venit in officinis, et a nuperioribus Chymicis *tartras acidulus potassae* nuncupatur. Mediam indolem habet hoc sal cum acidi excessu, in crystallos irregulares concrescit, idque peculiare habet, ut nonnisi in magna frigidae aquae quantitate solvatur, at ebulliens sub minori copia ejusdem salis perficit solutionem. Addito acido boracico solubilius fit in ebullienti aqua, quin ab hac additione ejus infirmentur vires, imo acui a nonnullis credantur.

Inter mitia, ac lenia purgantia merito reponitur *Cremor tartari*; sunt tamen qui censeant vires diureticas potius efficacius exercere. Revera commodum, ac tutum praesidium in hydrope commendatur, ejusdemque morbi curationem cremore tartari magnis, et iteratis dosibus porrecto, urina sic, alvoque plurimum motis saepius obtinuisse testatur Cullenus.

Convenit etiam in febribus, aliisque morbis cum hypersthenica diathesi junctis, daturque in aqua solutus, additis saepe saccharo, acidoque

limoniorum succo, quo jucundius efficitur, vel etiam cum sero lactis quandoque porrigitur.

Laudatur plurimum in ictero, idque ob vim leniter stimulantem, quam in universum systema vasculare exercere creditur, sed debile admodum in hoc morbo, praesertim inveterato, auxilium suppeditat.

Datur a drachmis duabus ad unciam unam, ejusque effectus super muscularem intestinorum contractilitatem dosi, qua sumptum est, proportione respondent.

Parum a praecedenti viribus differt sal olim in officinis sub nomine *tartari solubilis*, seu *salis vegetabilis* cognitus, qui nunc *tartras potassae* dicitur, quod ex potassa, et acido tartaroso obtineatur.

Iisdem morbis opitulatur, ac cremor tartari, aptiorque censetur, ubi systematis absorbentis actio est concitanda. Datur a drachmis duabus ad unciam semissem et etiam ad unciam unam. Purgantibus aliis, ut cassia, manna, similibusque adjicitur.

Nec valde absimiles vires habet *sal Segnetti*, sive *tartras potassae*, et *sodae*, ex acido scilicet tartaroso, potassa, et soda compositus, qui unciae semissis, vel unciae unius dosi exhibitus purgans; ad viginti, aut quadraginta grana porrectus diureticus est.

Validiores tamen vires diureticae tribuuntur sali ex potassa, et acido acetico constanti, quod *terra foliata tartari* vulgo, *acetas potassae* a nuperioribus appellatur. Sal hoc humido aëri expositum citissime liquescit, et ideo in aqua facile solvitur.

Hujus remedii actio in lymphaticum systema efficacissima. Utiliter admodum cum aperientibus decoctis radicum foeniculi, asparagi, cerefolii, anonidis, similium miscetur, sed nonnisi magnis dosibus generatim operatur.

Frequenter ad drachmam unam exhibetur, sed ubi haec dosis sensibilem effectum minime producit, tunc augeri eadem debet ad drachmas duas, et ultra.

Huc referendus etiam *tartarus vitriolatus*, cujus usus sat frequens, ut commodum ac lene purgans medicamentum. Constat ex potasssa, et acido sulphurico; hinc a Chymicis nunc sub nomine *sulphatis potassae* designatur.

Decoctis plantarum frequenter adjungitur, daturque dosi drachmarum duarum. Inservit etiam ad mitiorum purgantium, ut mannae, cassiae etc. actionem acuendam.

PURGANTIA FORTIA

EX REGNO VEGETABILI.

---

§. I.

DE ALOE.

Tres *Aloes* species in officinis distinguuntur. Prior *Aloes succotrina* dicitur, quae incisionis ope ex aloes foliis obtinetur, omnium purissima est, ex flavo rubro, ac purpureo colore fusca, splendens, tritum pulverem ex auro nitentem exhibens, friabilis, amaro et aromatico sapore praedita, ac myrrhae proximum odorem spirans. Secunda *hepatica* nominatur, quod jecinoris colorem quodammodo aemuletur; ejus odor magis gravis, ac nauseabundus. Tertia *caballina* vocatur, nigrum fere colorem habet, sordibus inquinata, ceteris est ponderosior, et veterinariis potius quam Medicis inservit.

Licet substantia ista ex plerisque aloes speciebus obtineatur, quae tamen vulgatiorem, magisque in officinis receptam suppeditat, ea est, quae *Aloe perfoliata* a LINNÆO nuncupatur, liliacea nimirum planta in Indiis, Africa, et speciatim ad Caput Bonae-Spei cum nonnullis aliis aloeiferis stirpibus habitans, ex quibus locis ad nos tandem transmittitur.

Est autem aloe, succus resinoso-gummeus, diversam pro varia aloes specie istorum principiorum copiam continens, quamquam in hepatico, seu barbadensi aloe resinosum principium magis redundet.

Eximia alvum movendi potestas huic succo inest, quod exigua etiam dosi praestare valet sat apte; quinimo Medicorum pene omnium consensu illud efficit, ut et haemorrhoidalem, et uterinum revocet fluxum, unde iis potissimum laudatur, qui laxo corporis habitu praediti sunt, obstructionibus detenti, inertique intestinorum motu obstipam habent alvum, quibusque haemorrhoidum, vel uteri fluxus segnis est, cachexia, aut hydrope divexantur.

Minus ideo metuenda ejus purgandi facultas, quum partibus, quas stimulo suo afficit tonum, ac robur aliquomodo impertiatur; atque etiam, quia muscularem crassorum intestinorum contractilitatem exsuscitans vicina loca simul stimulo suo afficiat. Stomacho quoque dicatur aloes, et stomachicum remedium praebet, quod spasticos ventriculi cruciatus haud raro sedare Cullenus adnotavit.

Praescribitur aloes vel pura in pulverem comminuta, vel extracti, aut tinturae forma. Grani unius dosi alvum blande ciet; iteratas vero alvi

dejectiones movet extractum ad grana xx exhibitum, raroque major exhibitur dosis, ne ventris dolores excitet, nimiumque commoveat; miscetur ideo sat apte, subigiturque mucilagine, et gummi arabico, similibusque.

Extus ad ulcera, et fistulas expurganda, et ad cariem sistendam, tincturae potissimum forma solet a Chirurgis usurpari.

Innumeras tincturas, ac praesertim *sacram*, *elixir proprietatis* Paracelsi, pilulas, et praeparata varia ingreditur, quibus amaram, tonicam, simulque alvum laxantem tribuit facultatem, quemadmodum sunt *pilulae de succino Cratonis*, et similia, quae maximo in usu esse apud nos solent.

§. II.

DE JALAPA.

Ex Novae Hispaniae urbe Xalapa anno 1710 ad nos allata est radix *Convolvuli*, cui *Jalapae* triviale nomen Linnæus imposuit; habitat quoque in Vera Cruce.

Jalapae radix ponderosa est, cortice subnigro, ac rugoso tecta, intus obscure grisea, nigrisque striis variegata. In taleolas secta, vel in orbiculos conformata prostat in officinis; inodora est, leniterque acrem saporem habet, et fauces ali-

quantisper pungentem. Odorem refert nauseabundum. Resinoso potissimum, quo scatet, principio purgans vis tribuitur, quum principium gummosum minus aptum censeatur ad muscularem intestinalem contractilitatem excitandam.

Datur vel in pulverem trita, vel tinctura alcohole parata, vel per se, aut sale aliquo neutro sociata; additur etiam aliis mitioribus purgantibus ad eorumdem vim acuendam.

Commodum, vereque utile praebet catharticum, quod rusticis praesertim, ac pueris ipsis muco intestinali inerti redundantibus aptatur, odoris quippe, et saporis ferme expers lubentius sumitur, ac sub parvo volumine optimum praestat effectum.

Dosis jalapae simpliciter pulveratae est a granis XII ad grana XXIV. Resina jalapae, quae acrior, magisque irritans est, nec sine torminibus alvum potenter ducit, cautissime solet praescribi cum nucleis amygdalarum dulcium, gummi arabico, mucilaginosis seminibus etc., subacta, et a granis V ad grana viij. In pueris aetati accommodanda dosis.

Nonnulli sunt, qui purgantem vim jalapae similem, sed paullo debiliorem *Mirabili Jalapae* Linn. (*) in utraque India nascentis, ac in nos-

---

(*) Vern. *maravie de Spagna*. Gall. *belle de nuit*.

tris hortis excultae tribuerint. Ast, licet opinioni huic cl. Viri Coste, et Willemet propria experientia ducti subscripserint, dummodo circiter duplo majori dosi haec in substantia praebeatur, aut ejusdem extractum aquosum misceatur ad drachmam unam cum scrupulo uno extracti resinosi ad mediocres purgationes obtinendas, quoniam tamen vix satis, nisi sub dosi duplo majori planta haec operatur, hactenus ideo postponi meretur *jalapiomexicano*.

§. III.

DE MECHOACANNA.

Ad idem *Convolvuli* Linnæani genus pertinet radix *Mechoacannae*, in Mechoacanna Americae meridionalis provincia, in Quito, et Brasilia nascentis, quae in taleolas pollicares saepius scissa, atque filo transversim excepta ad officinas nostras mittitur; corticem habet griseum, saporem vix initio subdulcem, in recessu subacrem, et leniter nauseosum. Principio resinoso abunde scatet.

Ob purgantem eximiam vim dudum *Rhabarbari indici* nomen obtinuit haec radix, quae nunc post inventam jalapam citius sub minori dosi agentem prorsus fere exolevit. Aptatur tamen adhuc infantibus, quod pene insipida sit, daturque ad

granis v ad x. Adultis vero ex vino ad drachmam unam semissem usque porrigitur. Extractum juxta pharmacopaeam Taurinensem paratum a scrupulo uno ad scrupulos duos dari potest, sed raro etiam adhibetur.

§. IV.

DE TURPETO.

Lactescens alia *Convolvuli* species, quam *Turpethum* Linnæus appellavit, in Zeylona, et Guzarata sponte nascens radicem praebet in officinis sub nomine *Turpethi*, vel *Turbith* cognitam, cujus cortex, demto meditullio in frusta dissectus, exsiccatus, leniter convolutus extus cinereus, vel fuscus, intus albidus, saporis primo subdulcis, deinde subacris, et nauseosi, medico usu praesertim insumitur.

Cavendum, ne hujusce radicis loco obtrudantur radices *Thaptiae garganicae*, quae ob majorem acrimoniam valde metuendae. Hae vero minus compactae sunt, frustis fusiformibus ejusdem radicis, quae ad officinas nostras quoque transvehuntur, quaeve prorsus rejiciendae.

Purgans, imo drastica, et saepe periculosa deprehensa est *turbith gummosi*, sive *turpethi* agendi potestas olim a Medicis uno ore

ipsis tributa, sed nunc in desuetudinem versa.

Dosis esse potest in substantia a granis x ad grana xxiv; in infuso aquoso a drachma una semisse ad drachmas duas, et semis. Extractum vinosum ad scrupulum unum, et ultra dari potest. Resina turpethi juxta pharm. Taurin. datur a granis viij ad gr. xij.

Ingreditur turpethum *pulverem diacarthami*, et *pilulas cocchias* ejusd. pharm. in obstructionibus valde celebratas.

§. V.

DE SCAMMONIO.

Refertur ad memoratum *Convolvuli* genus *Scammonium*, planta videlicet, cujus fusiformis radix olim pro purgante adhibita lactescente succo scatet, qui concretus ex Alepo, vel Smyrnio ad nos traducitur.

Saepius vero ex recentibus radicibus per expressionem, aut ex tota planta succus elicitur, qui tunc variare solet pretio, et efficacitate.

Resinoso praecipue constat principio, cui valida purgandi inest facultas; drasticum quippe constituit potentissimum, quod dari tamen pueris sat tuto potest a granis ij ad gr. xvj usque saccharo, aut ovi vitello commixtum. Resina scam-

monii a granis duobus ad iv, vel v cum amygdalis dulcibus ad similes usus praescribitur.

Ingreditur scammonium *electuarium diaphoenicum*, cujus purgantes vires adauget, sive ore sumatur, sive clysteribus adjungatur. Dosis hujus electuarii ore sumendi est a drachma una ad drachmas sex, inque clysteribus ab uncia semisse ad unciam unam.

Frequentius autem scammonii praeparato utuntur Medici, quod *Diagrydium* nuncupatur, quando scilicet vel cum cydoniorum succo, aut glycyrrhizae decocto, vel rosarum infuso, aut sulphure praeparatum est scammonium, unde *cydoniatum*, *glycyrrhizatum*, *rosatum*, vel *sulphuratum* audit, eoque solo interdum cum mitioribus purgantibus juncto, puta cum electuario lenitivo etc. alvus commode cietur.

Pulvis Cornachini scammonium recipit, daturque vel aqua solutus, aut idoneo syrupo mixtus a granis x ad scrupulum unum, alterumve, scopo alvum movendi, febrifugas tamen huic remedio vires, ut nonnullis placuit, vix tribuendas arbitramur.

§ VI.

DE CONVOLVULO.

Memoratis *Convolvuli* exoticis speciebus, aliquae addendae apud nos indigenae, quas iisdem substitui posse nonnulli contendunt. Prior in his habetur *Convolvulus sepium* Linn. (*) ad fossas, et sepes in Pedemontano agro manime rarus, cujus lacteus succus acer est, et alvum utiliter movet, debilius tamen ac scammonium, cui utpote succedaneum primus proposuit summus Hallerus.

Iisdem itaque in morbis, ubi scammonium laudavimus, et apte quidem praescribi potest convolvulus nostras, eo vel magis quod minus irritet, ac nostris temperamentis magis accommodetur.

Extractum ex succo inspissato paratum, datur a granis xx ad xxx. Siccata folia, et flores in infuso etiam dantur, alvumque blande movent.

Folia contusa, et extus cataplasmatis forma applicita vires habent anodynas, et resolventes.

Altera *Convolvuli* species hic etiam memoranda est *Soldanella* Linn., quae in maritimis locis in Liguria, et Nicaeensi agro reperitur.

(*) Vern. *ciocchette*. Gall. *grand liseron*.

Fortius haec, ac praecedens alvum movet, similiter autem agit. Dantur folia in pulverem trita drachmae unius pondere, aut recentia dosi unciae unius cum passulis, ad alvum ciendam.

§. VII.

DE RHABARBARO.

Notissima, et ob virium praestantiam usitatissima est radix, quae ex *Rheo palmato* Linn. habetur, atque ex Rutheno Imperio per Natoliam ab Alexandria ad officinas nostras mittitur, unde *Rhabarbarum turcicum* appellatur.

Radix hujusmodi modo integra, modo in frusta variae figurae, et magnitudinis advehitur, foramine utplurimum utrinque pertusa, mediocriter dura, ac ponderosa, et cortice destituta, extus lutea, intus ex albo, luteo, roseoque colore variegata. Odor ipsi gravis, nauseosus, sibique proprius; sapor amarus, leniter acris, nauseabundus; dentibus confecta stridoris quemdam sensum producit, ac salivam luteo inficit colore.

Ex recentiorum Chymicorum diligentissima, ac multoties repetita analysi constitit, rhabarbarum continere oxalatem calcis, tanninum, acidum gallicum, principium mucosum.

Eximium haec radix praebet auxilium non

modo ad alvum movendam perutile, sed ad digestionis viscera firmanda valde opportunum. Quoties ideo saburrae in primis viis degentes leni sunt evacuandae cathartico, ac debilis ventriculus est roborandus, tuto potest exhiberi.

In pulverem data efficacius alvum ciet, ac si quacumque praeparatione exhibeatur. Dosis autem pulveris istius varia pro aetate esse solet; generatim in adulto a drachma semisse ad drachmam unam porrigitur. Minuitur dosis ista, quum, adjecto sale aliquo neutro, cremore tartari, vel aliis purgantibus rheum consociatur. Miscetur quoque cum cinnamomo, saccharo, vel nebula obvolutum ingeritur, ne ab aegrotante respuatur.

Tinctura aquosa rhabarbari purgandi quoque vim habet, et ad hunc scopum uncia una, vel uncia una cum semisse, aut unciae duae praescribuntur, addita stillatitia aliqua aqua aromatica.

Extractum rhabarbari et pulveri, et tincturae cedit, atque a scrupulis duobus ad drachmam unam datur purgandi scopo. Tinctura spirituosa optimum stomachicum praebet, ejusque unum, vel alterum cochlear mane jejuno ventriculo assumitur. Quod si intestina ex longa diarrhoea, vel dysenteria laxa fuerint, rhabarbarum torrefactum praefertur.

Syrupus cichorei cum rheo vulgatissima apud

nos infantibus medicina; apteque porrigitur tum purgandi scopo, tum ad vermes una expellendos. Datur cochleatim sumendus ab uncia una cum semisse ad uncias duas, opportuno, gratoque vehiculo aliquo dilutus.

Postremis hisce temporibus, utpote *Rhei palmati* succedaneae, propositae sunt trium aliarum *Rhei* specierum radices, quae licet exoticae originis, facili tamen cultura apud nos haberi possunt. Has inter memoratu dignum *Rheum undulatum*, quod iisdem pene viribus pollere, ac *palmatum* creditur; venit *Raponticum*, quod dupla dosi dandum; debilius autem censetur *compactum*.

Haud interim confundendam esse censemus radicem rhabarbari cum *Rumicis alpini* Linn. radice, quae *Rhabarbari monacorum* nomine in officinis nota est, et ab alpicolis ut verum *Rhabarbarum* habetur. Radix ista dupla dosi ac rheum alvum movet, potentiusque ac nonnullae aliae rumicis species apud nos crescentes sollicitat.

§. VIII.

DE GUMMI GUTTA.

Inter potentia hydrogoga recensetur *Gummi gutta*, succus nimirum resinoso-gummeus, quem

Garcinia Cambogia Wildenow, arbor in India sponte crescens, incisione trunci, et ramorum suppeditat, quique concretus ad nos mittitur in frusta variae magnitudinis solida, ex rubro-flavescentia, inodora, paullisper acria, et fauces exsicantia. Principio constat resinoso, ac gummoso partim in alcohole, partim in aqua solubile; solvitur quoque in oleis tam fixis, quam volatilibus.

Incommodum remedium est, quod ventriculi, ac intestinorum cruciatus excitat, vomitumque, aut vomendi conamina producit, quibus avertendis exigua, ac ter, vel quater intra diem iterata granorum iij dosi, tantillo adjecto saccharo, dandum esse praecipit Cullenus, copiosis dein tum per alvum, cum per urinas motis aquosis dejectionibus.

Velut egregium anthelminticum habetur, quod ad vermes non solum enecandos, sed ad eosdem expellendos consulto solet praescribi.

§. IX.

DE SENNA.

Ægypti, et Arabiae indigena planta est *Senna*, lomentacea planta ad *Cassiæ* genus a Linnæo relata, cujus folliculi, ac folia potissimum medico

usu recipiuntur. Postquam novissime cl. Chymicus Bouillon-Lagrange Sennae accuratiorem instituit analysim, melius hujusce principia innotuerunt, ejusdemque administrandae modus compertus est. Constat etenim extractivam sennae partem aquae ope eductam omnino eodem in liquido solubilem esse, magnaque parte etiam ab alcohole dissolvi; quae vero sic soluta est, minime resinam esse, sed substantiam tantum resinarum principia habens, cui deest solummodo determinata oxygenii quantitas, ut omnes resinae habeat characteres; demum partem in aqua solubilem varia salia continere, ut sulphatem potassae, potassam, carbonatem calcarem, magnesiam, ac silicem. Observare interim praestat ex diuturna ebullitione purgantem sennae facultatem amitti, ac proinde frigida aqua paratum infusum calenti esse praeferendum; neque in formulis acida, tincturas, spirituosas aquas sennae fore admiscenda, quum substantiae istae remedii naturam immutent, et principium resinosum praecipitent.

Purgans senna praebet tutissimum, licet haud absque torminibus agat. Raro in substantia exhibetur; infusum ideo frigida aqua paratum anteponitur, quod drachmae unius, aut duarum, vel unciae semissis pondere in sex aquae unciis pa-

ratur, additis cinnamomo, coriandri, vel anisi seminibus, ne tormina suscitet, sicque paratum partitis dosibus sumendum praescribitur.

Cavendum, si pulvis diu fuerit servandus, ne ab aëris contactu humiditatem contrahat, quum tunc et decomponatur, ac alienas qualitates acquirat.

Frequenter infuso sennae Medici utuntur ad mitiorum complurium purgantium actionem acuendam; sic adjicitur cassiae, mannae, similibusque.

Ingreditur senna praeparationem superius memoratam, *electuarii lenitivi* nomine in officinis vulgatissimam.

§. X.

DE ELATERIO.

Ad *Momordicae* Linnaeanum genus relatum est *Elaterium*, seu *Cucumis asininus* (*), quod tanti faciebant Veteres. Cucurbitacea planta est in Nicaeensi agro, Liguria, Monteferrato, et in Astensibus collibus editioribus, calidioribusque proveniens.

Quae *Elaterii* nomine in officinis venit sub-

(*) *Concombre d'âne*, *Concombre sauvage* gall., *Sbrinciareul* vern.

stantia, forma varia; vel enim in frustula plana, sicca, admodum friabilia cinerei coloris, vel in frustula inaequalia, aeque friabilia, coloris nigroviridescentis se se praebet. Inodora est, saporis acris, ac linguam vellicantis.

Solvitur elaterium tam in aqua, quam in alcohole. Luteo colore menstrua tingit, iisque facile suum saporem communicat.

Celebre apud antiquos drasticum elaterium, quod tamen diversa ratione ac recentiores parabant. Remedium hoc parum nunc usitatum, quamquam ad alvum fortiter movendam, in hydrope praesertim, dummodo vires sinant, Sydenhamio ipso tradente, conveniat.

Dosis esse potest a granis ij ad iv, vel vj; juvabit tamen a dimidio grano incipere, aucta pedetentim dosi, prout assuescit aeger usque ad tria, quatuorve grana intra diem propinanda, quoties maxime in ascite, anasarca valido opus est hydrotico.

§. XI.

DE HELLEBORO.

Licet variae sint *Hellebori* species in officinis receptae, viribusque admodum inter se convenientes nos tamen hic loci tantum de *nigro* nonnullis

Pedemontanis in locis, et in Augustana valle crescenti sermonem habebimus. Non confundendus tamen *Helleborus* iste cum *nigro* Hippocratis, diversa omnino planta, observante potissimum cl. Tournefort, qui locum natalem *veri Hellebori* antiquorum perlustravit.

Radix praesertim usuvenit, quae acris est, et amara; linguae apposita ardoris sensum imprimit, ac veluti stupore prehendit; incaute intus assumta absque convenienti praeparatione in ventriculo dolorem suscitat, vomitum, anxietatem, pulsus debilitatem, extremorum perfrigerationem, balbutiem, mentis alienationem, convulsiones, ipsamque etiam mortem afferre valet. Non autem vomitum tantum, sed potenter unacum magnis torminibus alvum movet.

Principio scatet gummoso, et resinoso radix hellebori, quae et ab aqua, et ab alcohole educi indiscriminatim patiuntur.

Ab omni antiquitate laudatus fuit helleborus in mania, et ab eo peractas curationes in Anticyri insula poëtae, historiographi etc. mirifice celebrarunt, quod non soli helleboro tribuendum putant nonnulli, sed peregrinationibus potius, navigationi, aliisque animum recreantibus, alioque convertentibus. Helleborus enim drastica vi sua potentissima actuosiorum purgantium more,

imi ventris viscera concutiendo, atque efficaciter a superioribus revellendo, et venae portarum circuitum, uti videtur, expediendo, agere videtur; unde tantum remotis his obstaculis, quando ab his mens turbatur, minime vero specifica aliqua virtute, huic morbo prodesse videtur.

Ex hac interea efficacissima, qua pollet, intestina irritandi facultate, in mensium suppressione, sympathice agendo proficere videtur, uti et in asthmate, humido dicto, ac leucophlegmatia ex debilitate pendentibus, nec plane mirum si in epilepsia, cl. ALLIONIO teste (*), salutem attulerit.

Datur radix in substantia a granis x ad gr. xxx; in infuso a drachma semisse ad drachmam unam. Extractum potius ex radice paratum solet exhiberi, a quo haud violenti ii effectus metuendi sint, qui interdum ex simplici radicis, vel foliorum usu sunt consecuti. Datur vero a granis v ad grana xij. *Tinctura helleborata composita* varia aromata, et crocum recipiens a drachma semis ad drachmam unam datur. *Tinctura* etiam *martis helleborata* prostat extractum hellebori continens, in *tinctura martis Ludovici* solutum, quae a guttis XL ad LX exhibetur. *Pilulae* de-

(*) *Flor. Pedem.* 2 *pag.* 67.

mum *tonicae* Bacher nostris diebus sat celebres extractum hellebori nigri pro basi habent, addito extracto myrrhae aquoso, et pulvere cardui benedicti; quae licet probatae efficaciae esse possint in morbis superius enarratis, caute tamen dandae iis, quibus viscera infirmiora sunt, aut laesione viscerum laborant, aut qui sensilioris naturae sunt. Neque tamen obliviscendum, quidquid de summis hujus remedii viribus multi praedicaverint, non semper Medici expectationem implevisse.

§. XII.

DE RHAMNO CATHARTICO.

Non apricas tantum Taurinenses sylvas amat, sed et montana loca, et ad sepes non rarus est *Rhamnus Catharticus* Linn., seu *Spina Cervina*, aut *Rhamnus solutivus* in officinis dictus (*) frutex nimirum, cujus baccae colorans principium continent, *vert de vessie* vulgo dictum, ac in pictura usitatissimum, dum et idem ex cortice etiam habetur.

Baccae istae succulentam pulpam continent viridissimam, odoris ingrati, saporis amari, nauseabundi.

(*) *Nerprun* gall.

Ex chymicis constat, infusum aquosum harum baccarum ab acido sulphurico rubere, obscurioremque rubrum colorem ab acido nitrico acquirere, et a sulphate ferri nigrescere.

Licet cortex medius hujusce fruticis, perinde ac sambuci cortex vehementer alvum moveat, solent baccae huic anteponi, imo syrupus ex eisdem paratus usitatius remedium est, a quo intestina violenter irritantur; hinc valdopere commendatur in anasarca, ascite, ubi nempe serosa colluvies per alvum educi potest. Verum quum valide admodum agat, eaedem cautelae servandae sunt, quae in administratione vacuantium hydroticorum requiruntur; videndum praecipue, si febris non teneat, vires ferant, nec sensile admodum subjectum sit; videndum quoque, ne morbus jam nimis sit inveteratus, metus quippe tum, ne valido isto remedio aegrotantis res in pejus ruant.

Dantur baccae ex aqua decoctae a x ad xx. Succus earumdem ad unciam exhibetur; syrupus vero ab uncia una ad duas.

§. XIII.

DE BRYONIA.

Irritans admodum, acrisque, nec virus suspicione immunis est *Bryoniae* radix ad stirpem pertinens apud nos in dumetis, sylvis, ac sepibus frequentem, *Bryoniam dioicam* (*) a Wildenowio dictam.

Acri, amaro, ac nauseabundo sapore pollet radix ista, foetidoque odore praedita, ac resinoso, et gummoso principio scatet.

Validissimum drasticum constituit haec radix, quod nisi in robustis admodum subjectis, sanisque plane visceribus vix concedendum. Laudatur in leucophlegmatia, hydrope, anasarca, ubi una simul et urinae ciendae sint. Veteres ad hunc duplicem scopum obtinendum turiones comedendos, asparagorum more, suadebant.

Extus adhibita inter resolventia merito collocatur, atque cum therebintina praesertim subacta valet ad scrophulas, et ad duros tumores resolvendos.

In pulverem trita radix drachmae unius pondere exhibetur; in infuso autem, aut jusculo unciae semis dosi praescribitur; extractum bryo-

---

(*) Vern. *cossa sarvaja*. Gall. *bryone* ou *couleuvrée*.

niae a drachma semisse ad drachmam unam. Foecula bryoniae ad lochia pellenda olim laudata vix ullas vires habet, praeter nutrientes, et *solani tuberosi* (*) foeculae admodum analogas.

§. XIV.

DE GRATIOLA.

Humidiusculis pratis tam in collibus, quam in planitie delectatur *Gratiola*, sive *Grutia Dei*, *Gratiola officinalis* (**) a Linnæo nuncupata, acris, amara, et nauseosa planta plurimum gummosarum partium, minus resinosarum continens, tum salinas aliquas, necnon principium amarum, et nauseosum cum peculiari alio principio.

Inter hydrotica efficacissima reponitur gratiola, sed vomitum quoque movet, magna simul nausea, et anxietate excitatis. Hinc ad hydropicorum aquas per alvum evacuandas, atque tum ad hunc usum, tum ad contumaces febres intermittentes tollendas notum, ac familiare rusticis medicamentum est.

Ast iis tantum concedenda, quibus viscera firma sunt, ac ubi febris absit acuta, et in iis tantum

(*) Vern. *tartifle*. Gall. *pommes de terre*.
(**) Vern. *grazietta*, *graziosetta*. Gall. *gratiole*.

febribus intermittentibus, quae cum primarum viarum saburra junguntur.

Sunt qui in mania, ulceribus, tophis, exostosibus venereis, et contumacibus pluribus morbis debellandis, ac in cutaneis etiam affectibus recenter utilem proposuerint. Num tamen vere in his morbis efficax sit, tutoque adhiberi possit, observationes docebunt.

Ut jalapae succedaneum a cl. viris Coste, et Villemet, Bodard, aliisque habetur, eique utiliter substitui posse nonnulli affirmant, non autem ipecacuanhae; ex dictis vero liquet quid de hoc succedaneo censendum.

Multiplex est gratiolae administrandae ratio. Vel enim vinosum menstruum, quod plenius vim plantae extrahit, vel aquosum insumuntur, quod et efficax quoque, et actuosum est. Folia etiam siccata, aut recentia in alterutro ex modo dictis menstruis infunduntur. Extractum etiam paratur ex foliis, aut ex radice elicitum, quod vel in jusculo, vel emulsione solvendum, ne ventris tormina, vel hypercatharsim inferat.

Recentium foliorum dosis est a drachma una ad drachmas duas. Siccatorum a drachma semisse ad drachmam unam. Si autem ex radice elicitum fuerit extractum, quoniam valentius agit, sanioris ideo Medici erit intra paullo minorem dosim se continere.

§. XV.

DE VERATRO.

Ad violentissima drastica refertur *Veratrum album* L. (*), venenata certe planta in alpinis pratis, et subalpinis praecipue irriguis admodum frequens, cujus folia etiam tenella ab ovibus comesta, vel semina anseribus, aut gallinis ingurgitata lethalia sunt.

Radix potissimum usuvenit, quae odoris est nauseosi, ubi recens, inodora, ubi sicca fuerit, saporis acris, calidi, amari. Principio scatet extractivo, resina, ac volatili materie nondum determinata etc.

Commendatur in mania, atque inveteratis viscerum obstructionibus, quibus curandis, ubi alia incassum adhibita sunt, interdum valet, quum et ventriculi actionem excitet, ejusdem temperiem elevet, pulsus frequentiam, calorem universalem, et perspirationem adaugeat.

Dari ideo debet summa cum cautione, et in pulverem, aut extracti forma, incipiendo a dimidio grano, et plus minus longis intervallis iterando, ac dosim adaugendo juxta varios inde subsequentes effectus.

(*) *Ellébore blanc* gall., *Varajro*, aut *Vrajro* vern.

Vehementia purgantia, nec veneni suspicione immunia suppetunt omnes *Euphorbiae* Linnaeanae species apud nos indigenae, lac fundentes causticum, acre, urensque, quod cuti applicitum eam rubefacit, et exulcerat. Rustici *Euphorbiae Lathyris* L. (*) praesertim seminibus utuntur, duo, aut tria devorantes ad alvum movendam, et intermittentes febres contumaces debellandas, periculoso admodum experimento, quum et una vomitum, et alvum fortissime moveant, et sanguineas inferant dejectiones.

Drasticam quoque, et acerrimam vim possidet *Cyclamen europaeum* L., sive *Arthanita*, vel *Panis porcinus* officin., abunde in saxosis montanis locis pluribus in Pedemontio proveniens, cujus siccata radix, et per annum servata, ac in pulverem trita, dosi granorum x alvum abunde movet absque torminibus. Externo tamen usu potius adhibetur, ac basim constituit notissimi *unguenti de arthanita* dicti, quo Medici utuntur ad duros tumores resolvendos; eoque venter in pueris illinitur ad alvum ciendam, vermesque una expellendos.

Purgans specificum juxta LINNÆUM audit radix *Eupatorii cannabini* L. ad fossas, et fluentes

---

(*) *Epurge* gall.

aquas regionis nostrae frequentissimi. Datur ad pugillum vino infusa, sed non adeo certa, et confirmata satis ejusdem vis esse videtur.

§. XVI.

DE AGARICO.

Quod ab antiquissimis temporibus in usum medicum receptum fuit *Agaricum* officinarum, nostro aevo pene exolevit. Ad Fungorum familiam pertinet, ac nunc a cl. PERSOON (*) *Boletus purgans* dicitur. Habitat sat frequens in alpibus, ac subalpinis montibus ad laricinos truncos, unde *Boletus laricis* a BULLIARD (**), et a MICHELIO (***) vocatum. Ex Oriente ad Venetias olim transmittebatur.

Nondum sat hucusque perfecta hujusce fungi analysis; videtur tamen magnam resinosae materiei copiam continere.

Tam ore assumtum, quam in anum enematum ope immissum agaricum, muscularem intestinorum contractilitatem valet excitare; solet tamen cum cruciatu, torminibus, lenteque alvum movere. Hinc raro solum adhibetur, sed in compo-

(*) *Synops. meth. Fung. pag.* 531.
(**) *Champign. pag.* 353 *tab.* 296.
(***) *Gener. pag.* 119 *tab.* 61 *f.* 1.

sitorum quorundam purgantium formulis recipitur. Haud infrequentis apud nos usus est *mel rosatum solutivum cum agarico*, qui cochleatim infantibus exhibetur ad alvum ducendam.

Dosis agarici est a drachma semisse ad drachmam unam. Ingreditur *trochiscos* Mesues, in quibus ejus actio aromaticis videtur temperata.

Vermibus infensum traditur agaricum, atque ad *hirudinem alpinam* superius traditam (*) incaute ingurgitatam expellendam laudatur (**).

EX REGNO MINERALI.

§. I.

DE SALE EPSOMENSI.

Inter salia, quae ad alvum movendam potissimum usurpantur, ac *cathartica*, vel *amara* vulgo dicuntur, usitatissimum jamdiu sal ex magnesia acido sulphurico juncta emergens, quod a sapore *amarum*, ab effectu *catharticum*, et a loco, vel regione *epsomense*, seu *anglicum*, *canalense* etiam apud nos appellatur, magis proprie nunc *sulphas magnesiae* dicitur.

Ex medicatis pluribus mineralibus aquis eruitur, multisque locis occurrit etiam in regione

---

(*) *Part.* 2 *pag.* 13.

(**) *Miscell. Taurin. vol.* 3 *p.* 203.

nostra, et praesertim prope *Canalis* pagum, ubi efflorescens abunde quidem colligitur, ac rite depuratum prostat in officinis frequenti medico usu dicatum.

Datur in aqua, vel sero lactis solutum scopo alvum ducendi ab uncia semisse ad unciam unam, et etiam ad unciam unam et semis.

Aquae minerales sal hoc continentes, tam naturales, quam arte paratae, vires purgantes ab eodem recipiunt.

§. II.

DE SALE GLAUBERI.

Multum quoque Medicis aestimatur sal, quem, cum primus detexerit GLAUBERUS, ac *mirabilem* appellaverit, *sal mirabilis glauberianus* adhuc in officinis, et a Chymicis modo *sulphas sodae* nuncupatur.

Sive autem naturalis, sive factitius sit, easdem semper qualitates ostendit, easdemque nullo non tempore exerit vires, atque accommodatior a nonnullis habetur ad alvum movendam, quod in exigua aquae copia ex integro solvatur, nec, ubi assumtus est, nauseam, aut dolores pariat, quemadmodum a sale epsomensi contingit.

Datur a drachmis tribus ad drachmas sex, aut etiam octo.

CAPUT III.

DE ANTHELMINTICIS.

Ventriculi, et intestinorum acerrimi, infensissimique hospites sunt animalcula quaedam et genere, et specie admodum diversa, quum et inquilinis humoribus, nostraque propria substantia vescantur, et dira inde symptomata gignant, ut Medicus cogatur ad ea inquirenda, arripiendaque praesidia, queis aut eadem interimat, aut e cibario canali ejiciat, aut utrumque praestando succurrat. Quocumque enim modo id perficiatur, negare non possumus adesse substantias quibus ingestis vermes aut destruantur, vel eum in statum conjiciantur, unde innocui evadant.

Quin itaque nunc immoremur in describendis, tradendisque cunctis vermium in cibario canali degentium generibus, ac speciebus, quibus rimandis naturalis historiae cultores celeberrimi, eximiique Medici postremis hisce temporibus sollertissime incubuerunt, illud tantum adnotabimus, frequentius organa digestionis in homine ab ascaridibus divexari, atque has inter, quae *lumbricoideae* appellantur, intestina praesertim habitare, dum *ascarides vermiculares* in solis crassis intestinis degere traditum est. Taeniarum praeterea

nonnullae species, praecipue illa, *Taenia Solium* a LINNAEO dicta atrocissimos cruciatus, mortemque ipsam inferens, itemque alii complures vermes a plerisque magni nominis auctoribus memorati, quemadmodum videre est in peculiaribus eorum operibus, ac speciatim in elaboratissimo illo, quod, paucis elapsis annis, praeclarissimus, amicissimusque Italus Medicus, ac Professor BRERA evulgavit.

Creditum diu a multis, nimium intestinorum mucum vermibus quodammodo nido esse, itaut et eorum ova excipere, et fovere possit, donec prodeant; minus tamen id certum esse videtur; licet enim pueri, quam adulti magis frequenter vermibus laborent, minime tamen constat eorum intestina magis esse mucosa. Mucus etiam, qui a verminosis saepe per alvum excernitur, effectus potius, quam causa mali esse potest. Quod itaque maxime eorum evolutioni favere probabilius videtur, is est debilitatis status in digestionis organis; ex quo liquet cur infantes vermibus maxime obnoxii sint, ac adulti, saltem lumbricis, et ascaridibus; tum quod debilior hominum constitutio, sequiorque sexus frequentius vermibus divexentur, ac in morbis cum debilitate summa junctis crebrius vermes occurrant; quamvis nec id adeo perpetuo sit, quum multi pueri

etiam infirmi, toto vitae tempore a vermibus immunes fuerint; dum alii et sani, et robusti lumbricos aliquoties ex alvo reddiderint.

Vermium autem praesentia effectus peculiares producere solet, quorum alii topici sunt, per consensum alii excitantur. Priores desumuntur ex molesta sensatione, quae oriri necessario debet, ob varios rotationis, reptatus, ac fluctuationis motus, tum ob morsiunculas, quae ab ipsis exequuntur, matutino praesertim, ac vespertino tempore, ubi primae viae alimentis, et excrementitiis materiebus sunt expurgatae.

Nemini ignotum est, quanta inter digestionis, ac universum animalis oeçonomiae systema intersit consensio; mirum ideo non erit, si ex vermium praesentia, aliqua in omnibus, dixerim, corporis organis symptomata producantur. Modo enim caput, modo pectus, abdomen, aut seorsim, aut una acriter divexantur. Hinc nausea, bulimia, cardialgia, colica, nymphomania ipsa, menstrui fluxus suppressio, tussis, orthopnaea, peripneumonia, sternutatio, trismus, aphonia, mutitas, coecitas, amentia, hysteria, epilepsia, eclampsia, catalepsis, tetanus etc. etc. a vermibus producta fide digni testantur Auctores.

Praeter haec generalia phoenomena, alia quoque addenda, quae, ubi ex illis, quae per os,

vel anum excreta sunt, non satis vermes esse demonstrantur, attenta observatione certius vermes patefacere nonnulli affirmant. Inter haec sequentia signa commemorantur. Pupillae dilatatio, quae ut fidius vermium signum habetur ab illustri MONRO, quin tamen in omnibus deprehendi cl. VANDENBOSCH adnotaverit, itaut post pretiosissimas in ejus signi excellentiam animadversiones rectissime sequentibus verbis concluserit: *quae verminantium diagnosticis inservit pupillae dilatatio, cum pluribus animatae potentiae indiciis esse comparandam.* Ex pulsu etiam depromi signa queunt a veteribus ipsis haud neglecta: verminantibus enim pulsus esse solet inaequalis, obscurus, deficiens, ac recurrens: modo celer, et parvus, modo intermittens, aut is, qui intestinalis a sphygmicis nuncupatur.

Alia insuper extant adhuc vermium signa memoratu digna, uti sunt urina lactea, turbida, vel limosa, aut jumentacea, vel quidpiam continens geniturae simile; sudor praeterea verminosus, acer, foetidusque, circa collum in febribus adynamicis erumpens; frigidusque, ubi in extremo sunt qui vermibus laborant.

Ast in organis digestionis speciatim signa inquirenda; vomitio siquidem biliosa, HIPPOCRATE ipso adnotante, non incertnm quandoque laten-

tium vermium indicium praebet, saepe etiam, cum alimenta, tum potulenta identidem vomitu rejiciuntur; venter ad tympani modum inflatur, ac intumescit; et verminosi interiorem quasi metum persentiscunt, ac quemdam rotationis motum in ventre. Tum violentissimas constrictiones ad umbilicalem regionem persentiunt, unde pueri potissimum acervatim in lectulo moventur, cum ventriculum, tum abdomen comprimentes; singulari interim frigoris sensu in regione tenuium intestinorum conqueruntur; innumera verbo alia signa producuntur, quae longum nimis foret omnia nunc memorare, nec nostri omnino muneris esset hic loci recensere.

Illud itaque tantum addemus non modo tradita hucusque signa generatim vermes indicare, sed quaedam peculiariter symptomata esse singularibus vermium speciebus omnino propria. Ita profundus abdominis dolor, spasmi, cardialgiae, *ascarides lumbricoideas* adesse significant: dum illae, quae *vermiculares* dicuntur pruritum recto intestino, in quo degunt, excitant; taenia demum insanabilem quandoque ciborum appetitum, marasmum, copiosumque salivae fluxum producit. Id quoque notatu dignum cum aliis morbis saepe conjungi vermes, ipsorumque typum, symptomata, et exitum valdopere immutare. Hinc patet

verminosorum morborum, ubicumque extiterint nullam meliorem solutionem haberi, nisi quum fuerint expulsi, licet non ignoremus, vermium etiam expulsionem non semper criticam esse.

EX REGNO VEGETABILI.

§. I.

DE CORALLINA CORSICANA, SEU HELMINTHOCORTON.

Quum ad maris littora rupibus, lapidibusque, in Corsica praesertim, tum in Sardinia quoque reperiatur substantia quaedam vermibus enecandis ab insulae Corsicanae incolis maxime celebrata, *Corallina* ideo *Corsicana* dicta fuit, vel *Helminthocorton* tantum a nonnullis appellatur. Ex Cryptogamiae Linnæana est classe, et Algarum ordine, atque ad *Confervae* olim Botanici, ad *Fuci* nunc genus retulerunt, *Fucum Helminthocorton* eamdem nominantes.

Ex fibris pluribus tenacibus fasciculos conficientibus, luteo-rufis, ramosis, divaricatis componitur, odoris ingrati, saporis manifeste salsi. Raro haec corallina pura extat, quum et conchylia, et plura heterogenea corpora ipsi adhaereant.

Ex analysi chemica gelatinam abunde praebere

helminthocorton coloratam, odoramque, dein albam, ac pellucidam deprehensum est; plura etiam salia, uti muriatem sodae, sulphatem calcis, phosphatem calcis, carbonatem calcis, magnesiae, silicem, ferrum facile a prussiate calcari praecipitandum etc., continere traditur.

Anthelmintica hujus substantiae virtus nec vulgo ipsi incomperta. Usitatum quippe ad vermes enecandos praesidium, cum ubi ipsorum praesentia talia postulat remedia, tum ubi simul vermes cum aliis morbis sociantur.

Sumi potest in pulvere, cum aqua, lacte, syrupo quodam, vel in bellariis abscondi, ad fallendos praesertim infantes, quibus in placentulas, trochiscos, aliaque similia conformari potest, et exhiberi. Dosis variae infantis aetati debet accommodari. Majori quantitate in infuso, aut decocto praebenda. Ita uncia semis in sex aquae unciis sufficiunt, quibus lac, saccharum addi possunt: syrupus quoque helminthocorti dictus memorato scopo solet usurpari.

§. II.

DE SANTONICO, SEU SEMINE SANCTO.

Inter *corymbiferas* stirpes vermibus enecandis dicata illa jure eminet, quae *Artemisia Judaica*

dicitur a LINNÆO in Judæa, Arabia, ac Numidia crescens, et semina medicamentariis praebens officinis, *Santonici*, *cinae*, vel *seminis sancti*, aut *seminis contra* (*) nomine indiscriminatim vocata. Ea vero sunt levia, minuta, oblonga, cauliculis, et membranulis admixta ex luteo, et viridi-fusca, sapore amaro, et subacri, odore gravi, et proprio distincta. Usitatissimum suppeditant anthelminticum, quod pueris maxime, infantibusque solet largiri.

Aquoso, et spirituoso menstruo horum seminum principia educuntur. Alcohol autem principio maxime imbuitur aromatico. Infusum aquosum sulphatis ferri additione nigrescens evadit.

Datur santonicum, ut optimum ad vermes interimendos remedium. Nonnulli tamen censent ab eo abstinendum, quum viscerum simul abdominalium inflammatio conjungitur. Sunt, qui putent santonicum non sufficere ad omnem vermium curationem explendam, hinc et purgantia ipsi esse adjungenda.

Commodissima, et frequentissima dandi ratio ea est, quae in confectionis modum adhibetur, et *Sementina* vulgo dicitur, cujus dosis variae infantis aetati aptanda. In infuso quoque porrigi-

---

(*) Vern. *Semensetta*. Gall. *Sementine*.

tur, praesertim adultis: additis valerianae sylvestris radice, vel rheo, aut aliis amaris, tum in bolum conformatum, et saccharo involutum, vel syrupo corticum aurantiorum humectatum semen hoc exhibetur. Dosis communis est drachmae unius. Mane demum ad cochlear unum, vel duo, theae adinstar sumitur, aut in substantia, vel pani butyraceo, aut pani melle oblinito inspergitur, vel miscentur ejus cochlearia duo in lacte tepido, tum multiplici alia forma propinatur, qui varii modi apud nos fallendis infantibus usurpari solent.

§. III.

DE SABADILLI, VEL SABADILLAE SEMINE.

Post celeberrimorum l'Héritier, Jussieu, Desfontaines, Ventenat, aliorumque insignium Botanicorum conjecturas ad *Veratri* genus pertinere stirpem, cujus semen in officinis pharmaceuticis medico usu recipitur, eadem nunc a cl. Wildenow *Veratrum, Sabadilla* vocatur, et ad *Polygamiam Monoeciam* relata fuit. Habitat in China; ex Mexicano tamen Regno semen transfertur ad nos, quod minime purum est, sed miscela ex seminibus nudis, vel intra capsulas reconditis ovato-oblongas, compressas, duo unaquaeque se-

mina continens fusca, et subrugosa, quae junctim cum capsulis in usum duci solent. Eorum sapor acris, causticus, urens; odore carent, sed pulvis naribus attractus sternutationem ciet, validumque praebet errhinum. Fraudantur autem semine petroselini, vel loco seminis sabadillae pulvis piperis albi, vel veratri albi divenditur.

Resinoso scatent principio sat quidem copioso semina sabadillae, quod alcohol tantum extrahit. Principium aqua solubile minori admodum copia reperitur.

Multa de horum seminum anthelminticis viribus ab Auctoribus prolata. Recentius cl. Brewer nonnullas curationes hoc remedio habitas in medium attulit, ex quibus constat, aliis incassum adhibitis vermifugis, eodem expulisse feliciter *taeniam latam* Linn.

Varia apud Medicos haec semina administrandi ratio. Quidam ad drachmam dimidiam usque exhibuerunt, laxata prius alvo, vel rheo, aut sale neutro quolibet, dosim per plures dies in adultis iterando; in infantibus enim granum unum in cochleari syrupi de rhabarbaro sufficit, superbibendo infusum sambuci cum lacte mane, et vespere. Laudatus Brewer alia methodo usus est, quae videri potest in diario periodico societatis medicae Parisinae.

Quid autem censeamus de hoc medicamento aperte fatendum. Suspectum scilicet, et saepe nocuum esse praesidium, quod, si dandum, melle, similibusque demulcentibus commiscendum, ne ventriculi ardorem, aliasque turbas exsuscitet.

Externum potius horum seminum usum probamus adversus pediculos, qui ab inspersione sola hujusce pulveris, vel eodem axungia mixto, inuncto capite, aufugiunt, pereuntque. Cavendum tamen, ne dum haec perficiuntur, ulcusculis caput detineatur, quoniam ex absorpto pulvere, gravibus incommodis caussam praebuisse docent observationes.

§. IV.

DE COLOCYNTHIDE.

Cucurbitacea planta est *Colocynthis* ad *Cucumeris* Linnaeanum genus pertinens. Habitat in Syria, Arabia, atque ex Aleppo, et Cypro ad nos transfertur illius fructus, qui pomum globosum repraesentat ad pugni magnitudinem subinde accedens, quod pulpam occludit coloris albidi, leve, ac intra cellulas copiosas semina oblonga plana continet; ejus odor ingratus, sapor intense amarus, nauseosus est, et acer.

Plurimum mucilaginosae substantiae continet

colocynthis. Tinctura spirituosa aegre per filtrum trajicitur.

Vehementissimum drasticum praebet colocynthis; potenter enim alvum nec sine validissimis torminibus movet, cruento interdum fluxu excitato. Non ab ea tamen praescribenda semper abstinuere Medici, qui ab aliquot granis ad scrupulum unum, aut duos usque praescripserunt tum ad alvinas concitandas dejectiones, tum scopo serosas pellendi evacuationes; hinc in hydrope; ictero, suppressa gonnorrhoea, melancholia, mania, in intestinorum vermibus, ad menses ciendos, injectionibus pro utero, atque unguentis, aliisque praeparatis adhibuere.

Nos autem in tanta tutiorum anthelminticorum et purgantium quoque supellectile vel nunquam, aut raro saltem, et cautissime clysteribus ipsis adjungendam censemus, ubi praesertim ex consopita valde intestinorum actione irritans, et exstimulans efficacissimum requiritur.

Plures extant in medicamentariis codicibus formulae colocynthidem recipientes. Has inter tutior aestimatur tinctura, quae ex uncia una hujusce substantiae, addita drachma una anisi stellati, conficitur, et ad xij, xx, et etiam ad xxx guttas pluries intra diem datur. Extractum ex eadem paratum violentius agit, et ad grana

duo tantum dari potest. Oleum denique ut optimum habetur anthelminticum.

Inter innumera composita, quae ingreditur colocynthis, memorandi *Trochisci de Alhandal*, qui unice pro stimulo purgantibus olim adjicebantur. Tum *pilulae cochiae*, *extractum panchymagogum* Crollii, *unguentum arthanitae* etc., non satis concinna certe, quae a prudentioribus raro adhibentur.

§. V.

DE NUCE VOMICA.

Licet venenata dici queat substantia ex Malabaria, et Zeylona advecta, quae *Nux vomica* in officinis nuncupatur, quoniam tamen vermibus perimendis opportuna a nonnullis traditur, quaedam ideo de eadem hoc loco dicenda. Ea vero nucleum refert orbicularem, nummorum adinstar complanatum, umbilicatum, cortice exteriori tenui, fusco, vel albo-virenti, splendentique villo obductum, pulposam intus occludentem substantiam inodoram, amarissimamque. Pertinet ad stirpem ex *Apocinearum* familia, quae *Strychnos Nux vomica* a Linnæo salutatur.

Amaro admodum principio scatet nux vomica, quod decoctione ex aqua obtinetur.

Animalibus pluribus, ut felibus, canibus, lupis, corvis, gallinis infensissima, homini minus inimica est, quamquam tamen et vomitum, et somnum, et convulsivos motus, ac pene epilepticos excitasse cl. Virorum fide constat.

Laudata tamen fuit adversus hypochondriacum, et hystericum affectum, speciatim autem dysenteriam, tertianas, et quartanas febres fugandas, tum contra vermes intestinales feliciter usurpatam fuisse legimus.

Datur in pulvere a granis iv ad viij, semperque in aliquo mucilaginoso liquido diluta; extractum ex ipsa paratum minori valde dosi exhiberi debet, praesertim infantibus.

Clysteres potius eamdem recipientes, maxime in dysenteria, nonnulli adhibuerunt. Nos autem, quidquid recentiorum plerique de summis ejus viribus *controstimulantibus* scripserint, ejusque in hypersthenicis affectibus utilitate, ac licet minus revera noxiam homini ac memoratis animantibus credamus, ab eadem tamen omnino abstinendum esse censemus.

Ingreditur *electuarium de ovo*, infidum, et suspectum compositum, quod ideo nunquam adhibendum.

Tinctura spirituosa, dummodo rite parata sit, a guttis aliquot ad quinquaginta etiam intra diem scopo anthelmintico dari potest, juxta nonnullos.

§. VI.

DE FABA SANCTI IGNATII.

Non adeo facile admittendam esse, nisi summa cum cautione putamus substantiam, *Fabam sancti Ignatii* ideo dictam, quod a Jesuitis in Europam a Philippinis insulis transvecta fuerit. Fructus eadem est plantae cujusdam, quae ad *Strychnos* pariter genus olim relata fuerat, nunc vero *Ignatia amara* a Linnæo nuncupata.

Est autem hic fructus durissimus, semipellucidus, nucleos occludens majoris fabae magnitudine aequales, extus pallide fuscos, ex albo glaucos, intus viridi-fuscos, inodoros, sed amaroris praesentia fortissima amara omnia superantes, quod principium maxima ex parte aqua extrahit, dum resinosae partes in solo alcohole solubiles sunt.

Venenata istius substantiae potestas cum in homine, tum in animantibus, aeque ac de nuce vomica diximus, est comprobata. Praecordiorum siquidem spasmos, risum sardonicum, lipothymias, debilitatem, convulsiones, mortemque ipsam inferre visa est; apud Indos tamen quotidiano in usu esse solet, Linnæo juniori referente, in omni ventriculi malo, febribus intermittentibus a debilitate fotis, morbis soporosis etc.

Antidoto sunt potiones mucilaginosae large epotae, et ubi graviora sunt pathemata, acida aqua diluta, opiata etiam opportunissima censentur.

Ut summum febrifugum a Medicis adhucdum habetur faba sancti Ignatii; hinc in contumacibus febribus intermittentibus, iisque praesertim, quae corticis administrationi reluctarunt, cum fructu adhiberi dicitur. Ob vehementem quoque ejusdem amaritiem vermibus infensa creditur, daturque in pulverem trita ad grana viij in adultis, ad iv tantum in infantibus. Infusum cum ferventi aqua paratum amarum ac nauseosum, quandoque iners remedium.

§. VII.

DE FILICE MARE.

Postquam *Noufferianum specificum* promulgatum est, celebrata admodum fuit radix *Filicis maris* ad taeniam expellendam. Planta hoc nomine insignita ad Cryptogamiae Linnaeanam classem pertinet, atque nunc *Aspidium Filix mas* (*) dicitur a Wildenowio, in sylvis subhumidis, umbrosis collium et montium passim excrescens.

(*) *Fougère mâle* gall., *Feles* vern.

Non confundenda planta ista cum alia *Aspidii* specie in umbrosis collium, et montium sylvis admodum frequenti, quae *Filix foemina* est ejusdem laudati Viri; haec enim pinnulas habet lanceolatas, pinnatifidas, acutas, sorasque oblongas, rectas, nec stipitem paleaceum.

Siccata filicis maris radix, et analysi chemicae submissa extractum praebet aquosum, saporis subdulcis, levissime amari, adstringentisque. Extractum quoque praebet resinosum, sed minus copiosum, magisque adstringens, amarumque. Tam infusum, quam decoctio hujusce plantae a sulphate ferri nigrescunt.

Vis anthelmintica dudum a veteribus huic radici tributa est, quae tunc magis increbuit, ubi, aere soluto, Galliae Rex ex Bernensis Chirurgi vidua Nuffer arcanum olim comparavit, ac publici juris fecit. Hoc autem sic ministratur:

Vesperi jusculum sorbillatur pane, multoque butyro simul incoctis, cui subjungitur emolliens clysma, si alvus fuerit adstricta: sequenti mane specificus ita dictus pulvis propinatur, cujus haec est formula:

℞ *Radic. Filic. mar. drachm. iij. in aquae stillatit. Fl. Tiliae, aut fontan. unciis iv aut vj permixt.*

Dein cortex citri conditus vel ore tenendus,

vel grato liquore aliquo os eluendum ad nauseam avertendam. Si pulvis memoratus vomitu rejicitur, sedata turba, nova dosis iterum capienda. Duabus transactis horis postea bolus purgans requiritur sequenti modo paratus:

℞ *Panaceae mercur. Resin. Scammon. a gr. xij. Gumm. guttae gr. v. m. f. pulv. subtilis et cum confect. hyacinth. q. s. in bolum redigatur.*

Quantitas autem horum ingredientium imminuenda, vel partienda pro aegrotantium indole, et robore. Superbibendus huic bolo cyathus unus, vel alter tenuis infusi theae, donec vermis exclusus sit; quo facto, jusculum carneum juvabit exhibere.

Ast si post quadrihorium alvus sufficienter mota haud fuerit, drachmae sex, vel octo salis cathartici calenti aquae solutae capiendae sunt, superbibendo iterum potionem theae calidam, et nisi haec suffecerint, iterum ad sal catharticum deveniendum est, donec omnino vermis excussus sit.

Praeter hanc anthelminticam virtutem, aliam filici mari tribuunt, adstringentem nimirum, ac roborantem, sed raro admodum hoc scopo solet usurpari.

Quoniam eadem principia ex *Pteridis aquilinae* L. radice chemica analysi educta sunt ac

in filice mare, consimiles ideo vires habere creditum est, itaut indiscriminatim memorato usu queant adhiberi. Haec autem pteridis species sub *Filicis foeminae* nomine in officinis cognoscitur, abunde tamen et fronde tripartita, ramis bipinnatis, ac soris marginalibus ab Aspidio Filice foemina mox memorato distinguenda.

§. VIII.

DE RICINO.

Perinde ac unguinosa, ac pinguedinosa olea vim purgantem *Ricinum* exercere dudum Medici adnotarunt, sed et vim ejus anthelminticam postremis hisce temporibus complures valde depraedicarunt, itaut ad hanc postremam remediorum classem referendum esse cum nonnullis praeclarissimis Viris sentiamus.

Planta autem est Ricinus ad Tithymalorum familiam pertinens, quae *Palma Christi* etiam vulgo audit, atque a Linnæo *Ricinus communis* vocatur. Abunde in Occidentalibus Indiis, necnon in Orientalibus reperitur, neque in calidioribus nonnullis Europae locis, Hispania, Creta desideratur. Cultura facili negotio apud nos obtinetur, et semina sat bene perficit.

Medico usu oleum tantum insumi solet ex se-

minibus expressum; hoc autem pro vario praeparationis modo admodum et physicis, et medicis proprietatibus varium. Ubi purum est, crassum, viscosum, dulce, ac pene insipidum est, colore glauco-viridescente, adinstar succini fere pellucidum, nullumque acrimoniae sensum in faucibus relinquens, gravitate specifica tam olea alia unguinosa, quam pinguedines animales superat.

Eisdem ac vegetabilia alia olea chymicis gaudet proprietatibus, magnamque habet cum atmosphaerae oxygenio affinitatem, cujus additione diversos rancoris gradus acquirit.

Commodum, tutumque purgans est, ubi stomachus facile ipsum ferre potest juxta Cullenum. Hinc in colicis doloribus, in ileo, ac vermibus intestinorum enecandis, unaque expellendis commendatur. Ad taeniam insuper ejiciendam Genevenses Medici Odier et Dunant utile deprehenderunt, speciatim adversus illam, quae *lata* a Linn. vocatur. Cl. Alibert in lumbricis puerorum intestina divexantibus hujusce olei efficacitatem saepissime observavit, non tamen in taenia, nisi tunc oleo ricini aether sulphuricum consocietur.

Datur oleum ricini rite paratum ab uncia semisse ad unciam integram in theae, aut tenuis juris cyatho, quae dosis iterari potest post dimidiam horam, si casus requirat. Quum vomitus

ab assumpto oleo metuitur, aqua menthae, aut aromatica alia eidem consociari potest. Sunt qui olei istius acritatem difficile ferunt, quae tamen uncia una syrupi limoniorum, aut sacchari utcumque temperatur.

Praeter memoratas substantias ex vegetabili regno petitas, aliae adhuc ab auctoribus traduntur, quas breviter hic enumerabimus, et 1.° quidem:

Succus *Caricae Papayae* L. ex arbore elicitus in Indiis nascenti, cujus analysim chemicam accurate instituit cl. Vauquelin: hic tamen, licet in insulis Franciae, et Reunionis, cl. Charpentier de Cossigny affirmante, colonis tamquam optimum anthelminticum fuerit observatus, non aeque in Gallia respondit, quamquam plura, et accurata instituta fuerint a nonnullis Medicis tentamina, quemadmodum cl. Alibert tradit, quod forsitan ex eo fieri putat, quia vires suas siccatione amiserit.

Datur ad drachmas duas et ultra, postquam in ebullienti aqua solutus est; si liquida forma succus habetur, tunc parvum cocheare in tribus ebullientis aquæ magnis cochlearibus immiscendus.

Venit secundo cortex *Geoffroyae surinamensis*, parum tamen usitatus; hic vero aut in pulverem, boli, aut electuarii forma ministratur, dosi xviij ad xxxvj grana vel ore sumendus, aut in anum immissus.

3.° Memoratur *Spigelia Anthelmia* L. in Cayenna, et Brasilia, tum ea, quae *marilandica* L. dicitur in Virginia, Carolina, et Marilandia crescentes, quae insigni anthelmintica vi pollere traduntur. Parum tamen in usu apud nos esse solent; dantur in pulverem dosi gr. xviij ad xxxvj. Infusum ex quatuor partibus plantae minutim concisae in centum aquae partibus paratur, aut tres, vel sex unciae remotis intervallis sumuntur. Ad ascarides lumbricoideas praesertim debellandas adhibentur.

4.° Demum dicenda semina *Chenopodii anthelmintici* L., quae ex planta proveniuut Pensylvaniae, et Bataviae indigena: haec siquidem vel electuarii forma, vel saccharo obducta, aut dulciariis addita, infantibus praesertim aptantur, et lumbricis adversa sunt.

EX REGNO MINERALI.

§. I.

DE CUPRO.

Remotissimis temporibus notum, pluribusque domesticis maxime usibus dicatum metallum est *Cuprum*, sive *æs*, *venus* etiam, ob facillimum cum pluribus aliis corporibus connubium, et ob adulterationis speciem, quam in hisce connubiis prae-

sefert ab Alchymistis vocatum. Multiplici forma in natura reperitur, unde multiplices hujus metalli species a Mineralogis traduntur.

Physicae ejus proprietates omnibus fere notissimae; rubedine enim sui generis conspicuum, serius in aëre ac ferrum rubiginem contrahens ex coeruleo-viridem, tenacitate, duritie, pondere specifico, ductilitate pollens, ceteris metallis magis sonorum, odore sui generis, ac nauseoso sapore donatum.

Vehementi, continuatoque igni expositum in vapores abire potest, viridem flammam edens, vividisque coloribus ludens antequam excandescat. Ab omnibus acidis attingitur, et varia cum iisdem salia conficit, quorum plura venenum sistunt. In simplici ammoniaca solutum, colorem suavissime coeruleum ostendit.

Innumera est morborum caterva ab ingesto cupro nullo non tempore visa. Id autem tantummodo praestare multa docent, ubi in statu oxydi est, minime vero ubi metallica forma adhibetur.

Quae vero ab eodem ingesto praecipuae turbae excitantur in digestionis organa, potissimum conspicuae hae sunt: doloris, et punctionis atrocissimus in ventriculo sensus, nausea, vomitus enormes, sitis inexplebilis, dolorifica abdominis tensio, horrendae pectoris oppressiones, anxietas,

pulsus debilis, parvus, aliaque labentium virium signa, convulsiones, spasmi, deliria, paralyses etc.

Hisce autem occurrendum, si fieri potest, vomitu illico excitato, copiosoque tepentis aquae ingurgitatione promoto; dein mucilaginosis potionibus, clysteribus emollientibus, tepido balneo, aliisque pluribus pro adjunctorum varietate in usum vocatis.

Quamquam tamen internus, improvidusque cupri usus adeo graviter noceat, non defuere tamen Medici, qui cum extus, tum intus in difficilioribus casibus adhibendum esse audacter contenderint, ea scilicet spe ducti atrocissimam etiam veneni virulentiam aut idoneis additamentis cicuratam, tum caute, et tempestive usurpatam posse in salutarem efficaciam converti.

Quin igitur nunc cunctos enumeremus morbos, in quibus laudata fuere varia cupri praeparata, de eo tantum dicemus, quod *oxydum cupri ammoniacale* vocatur, quodque velut tonicum eximium habetur in hysterica affectione, ac in epilepsia praecipue admodum proficuum. Optimum quoque anthelminticum quodvis cuprum recipiens a pluribus Medicis creditum. Hinc tincturam veneris Helvetii in rachitide etiam commendatissimam, tum aquas stillatitias

in alembicis aeneis paratas, hydromel supra cupri frusta affusum, tincturam coeruleam, in acidis vegetalibus solutum cuprum ad vermes occidendos valuisse nonnulli referunt. Nos tamen in tanta tutiorum et tonicorum, et anthelminticorum abundantia, eodem quacumque forma adhibito carere posse arbitramur.

Ingreditur cuprum unguentum aegyptiacum, et unguentum apostolorum, quae ulceribus mundandis laudata. Aqua sapphirina, seu ophtalmica coerulea aes quoque recipiens in morbis oculorum ex laxitate pendentibus commendatur etc. etc.

§. II.

DE ARSENICO.

Nemini fortasse ignotum est quanta, et quam dira venenata vi polleat metallum, *Arsenicum* nuncupatum non humano tantum generi materiem veneficii nefariis hominibus frequentissimam praebens, cunctis animalibus (piscibus forsitan exceptis) truculenta symptomata, mortemque ipsam inferens.

Frequens in natura arsenicum nativum invenitur: saepe vero cum sulphure mixtum binas praebet varietates, quarum una *arsenicum rubrum*, seu *risigallum*, *realgar*, *sandarack*, *zarnik*

dicitur: altera *auripigmentum* nuncupatur; quae varietates arte quoque parari queunt, suntque homini non secus ac animalibus infensae. Pro vario oxydationis, aut connubii gradu diverso modo se praebet metallum istud, quemadmodum videre est apud Mineralogos. Illud autem sibi proprium adjungit, ut prunis inspersum odorem ad allium quodammodo accedentem emittat, saporem acrem et quasi urentem prodat.

Quod ad chymicas proprietates pertinet, eas nullatenus hinc recensebimus, quum hae alibi sat docte et accurate sint traditae a cl. Chemiae pharmaceuticae Professore Bonvicino. Nec quidquam de deleteriis effectibus, eorumque medendi ratione adjiciemus, ne falcem in alienam messem quasi immittere videamur.

Medicas itaque tantum proprietates, quod spectat, haud defuere cl. Viri, qui arsenicum adversus quosdam morbos, ut efficacissimum praesidium commendaverunt, praesertim in febribus intermittentibus, tum etiam in morbis cutaneis, in epilepsia, et in convulsionibus a vermibus ortis. Nos autem remedia ista, utpote periculi plena, nec raro funestissimos effectus cientia, prorsus rejicienda esse opinamur, eo vel magis quod tutiora, aptioraque in medicina remedia non desint.

§. III.

DE STANNO.

Insons potius, nisi peregrino quopiam metallo vitiatum, tradendum *Stannum*, seu *Jupiter* ab Alchymistis dictum, cui principem inter medicamenta vermibus intestina obsidentibus fugandis locum dudum Medici tribuerunt, de cujus naturali historia, et oeconomico usu haud disseremus, quum, haec ex Mineralogis, Chymicisque sint petenda.

A ceteris autem metallis distinguitur stannum, ob stabiliorem nitorem, et ad argenteum stridorem quemdam accedentem, mollitiem insignem, dum diffringitur, edentem, pondus specificum mediocre, aliasve plures notas, quas nostrum non est hic loci omnes referre.

Ob facillimum ejusdem metalli cum oxygenio connubium, caloris praesertim varia actione accedente, diversa inde stanni oxyda promanant tam in artibus, quam in medicina usitata. Ob eamdem etiam proprietatem et oxyda, et acida plus minusve decomponit.

Quoniam apud Anglos purum et abunde prostat stannum, nihil ergo mirum, si frequentius apud ipsos anthelmintico scopo adhibeatur. Alston enim Edinensium Medicum celeberrimum

faustissimo cum successu usurpasse legimus, praemisso enim praecedenti die cathartico ex manna, et foliorum sennae infusione parato, mane dein, vacuo ventriculo, unciam unam stanni in subtilissimum pollinem redacti, adjectis unciis quatuor syrupi nigri, praescribebat. Sequenti vero die unciam semissem dabat, cum unciis duabus syrupi memorati, eamdemque dosim repetebat die tertia; quarta denique repetebat, tum catharticum propinabat: junioribus minorem dosim ministrabat. Hoc remedio non teretes modo, sed et taenias ipsas expellebat.

Sunt, qui in epilepsia a vermibus natales trahente stannum pariter consulant, ac in morbis uteri, et hepatis valuisse tradant; alii vero non stannum purum, sed aliquot praeparata laudarunt. Inter haec celebre fuit *antihecticum* POTERII dictum, a POTERIO primo praescriptum, et celebratum, quod nihil aliud est, nisi potassa cum stanni duabus partibus, et una reguli antimonii peculiari chymica encheiresi juncta. Laudatur hoc cum ad vermes pellendos, tum ad obstructiones reserandas; item in phthisi pulmonali, hectica febri, aliisque pluribus, quibus eximiam opem tulisse scripserunt auctores. Ast vel nihil saepe praestitit, interdum etiam nocuisse adnotatum est. Datur ad grana duodecim, et ultra.

Quod spectat ad muriatem stanni, quum plura in vivis animalibus capta experimenta funestos effectus produxerint, hinc nec nisi caute venenatam forte praeparationem adhibendam esse putamus.

EX REGNO ANIMALI.

DE CORALLINA.

Zoophyti domicilium, stirpis formam praeseferens, quae *Corallina officinalis* a Linnaeo nuncupatur, *subbipinnata*, *articulis subturbinatis* distincta, ad Oceani, et Mediterranei maris littora reperiunda, substantia est a polypis maritimas rupes inhabitantibus confecta, nullatenus cum cryptogamis plantis confundenda, quae saporem salinum acrem, ac nauseosum praebet, et calcarea modo alba, rufescenti, flavida, aut herbacea materie obducta est.

Analysi chemicae submissa corallina gelatinam, albumen, muriatem sodae, sulphatem calcis, phosphatem calcis, carbonatem calcis, et magnesiae, silicem, magnesiam, calcem, ferrum etc. continere traditur.

Vis insignis anthelmintica tributa est corallinae, haud tamen ab helmintochorto dissimilis. Datur in pulverem trita, praesertim infantibus, vel in bolum redacta, aut infusa, vel decocta solet adhiberi.

Dosis in adulto est a scrupulo uno ad drachmam integram. Imminuitur in infantibus ratione aetatis.

SECTIO SEPTIMA.

DE MEDICAMENTIS

SUPER ORGANA URINARIA PRÆSERTIM AGENTIBUS.

Quemadmodum evacuantium remediorum antea traditorum usu sanitas adducitur, ita et iis, quae urinam ducant, medicina minime carere potest. Morbi enim non pauci sunt, qui ab illius humoris fluxu vel praepedito, vel imminuto, aut retardato sustentantur, proindeque si quae suppetunt urinam cientia praesidia, et utilia, et quandoque necessaria Medico summopere interest scire, qui videlicet eorum morborum caussas, effectus, et exitus debet praescrutari. Quae itaque id praestare valent medicamenta, *diuretica* a Medicis dicta sunt, quae vel directe in vitales organorum urinariorum proprietates, vel per sympathiam actionem exerunt.

Et primo quidem nemini latet substantias adesse in renes, ac vesicam praesertim agentes; ex nitro enim urinae secretionem adaugeri compertum est, nec ignotum ipsam ab assumptis asparagis foetere, violam redolere a terebinthina, rubescere a rheo etc.

Peculiaris itaque haec sentiendi potestas memoratis organis impertita admodum confert ad aliquas indicationes desumendas pluribus in casibus opportunas. Quod sane evidens cuilibet, qui renum, ureterum, ac vesicae anatomicam fabricam, et physiologicum usum apprime calleat.

Hisce si addatur cognitio earum conditionum, quibus urinae secretio, ejusque in vesicam descensus, vel excretio peraguntur, tum ea physiologica tentamina, ex quibus constitit vesicam diutius a liquido intruso distentam irritabilitatem amittere; tum segnem ejus actionem post apoplexiam, vel paralysim, multa habebimus circa hujus functionis aberrationes scitu utilia, atque ad diureticorum rectam administrationem necessaria.

Hisce ergo praemissis, casus indicandi, in quibus diuretica conveniunt. Et generatim quidem laudantur in temperamentis, ut ajunt, pituitosis, magnopere vero proficiunt in ictericis, obstructis, cachecticis, in anasarca, ascite, hydrothorace; necnon in iis, qui arenulis, ulcere, pure urinae vias obsessas habent, ac renum, ureterum, et vesicae chronicis quibusdam affectibus detinentur. Id quippe praestare solent diuretica, ut non tantum urinae fluxum copiosiorem reddant, verum etiam id ex animali oeconomia, aut

ex urinae viis abripiant, quod noxium est, atque cum urina e corpore eliminant. Unde fit, ut in pectoris, abdominis, aliarumque partium morbis valde utilia deprehendantur; quam utilitatem auget adhuc eximius, qui viget cutim inter, et renes consensus.

Nec tamen semper conveniunt remedia ista, imo pluribus in casibus ablegānda, ac praesertim ubi renum, ureterum, aut vesicae adest inflammatio, vel quoties haemorrhagiae metus est, aut mictus cruentus, vel tumores, excrescentiae, majoresve calculi urinae vias obsident, aut priapismus vexat etc.

Olim opinio multorum medentium fuit, post assumptum medicamentum urinam proliciens, ab omni potionis genere abstinendum esse: minus recte tamen; generatim enim efficacitas medicamentorum urinam citantium subfrigidae aquae potu adaugetur; saepe quoque hac sola promovetur urinae fluxus, quemadmodum Backer, Milmann, et Cullen observationibus confirmatum est. Crudele interim est hydropicis vehementi interdum siti divexatis omnem denegare potum, eo vel magis quod visum aliquando copiosissima aquae ingurgitatione hydropes fuisse felicissime curatos.

Innumerae sunt substantiae diuretica vi non

incelebres; usitatiores tantum, quae ex triplici naturae regno petuntur, hic recensebimus, et primo quidem:

EX REGNO MINERALI.

DE NITRO.

Quod in cavearum parietibus, vetustisque muris efflorescit, aut ex stabulorum, cellarumque ruderibus extrahitur sal, *Nitras potassae*, vel *Nitrum* communiori vocabulo dicitur.

Pungenti sapore pollet hoc sal, amaroque, et linguae appositum singularem frigoris sensum eidem imprimit, ex quo forsitan nonnulli refrigerantem virtutem nitro tribuere, inodorum est, solviturque in quinque, aut sex aquae frigidae partibus.

Velut optimum diureticum habetur nitrum; consentiunt quippe Medici a duodecim ad viginti grana datum urinas movere, tum solum, tum aliis rebus admixtum, ac praesertim ubi temperans, ac refrigerans remedium conveniat. Quapropter in diathesi hypersthenica, ac morbis inflammatoriis, ubi urina sit provocanda, tum in hydrope incipiente, aliisque casibus, ubi nullus in urinae organis adsit nec inflammationis, neque stimuli, nec ulceris metus, tutissimum, et efficax diureticum suppeditat.

Dosis nitri esse solet in substantia, et sub boli forma, sed raro, a granis viij ad grana xij; in aqua vero solutum a granis octo ad drachmam unam et ultra, partitis vicibus sumendum, ita tamen ut vix ultra drachmam semissem (*) pro nycthemero propinetur, ne ventriculo nimiam irritationem, indeque debilitatem inducat, vel alvum etiam moveat, salium neutrorum more; si ad unciam semissem, vel unciam unam simul et semel ingeratur, venenum est, incredibilem anxietatem, ardoris sensum, deliquia, aliaque pathemata inferens.

Mucilaginosis potionibus, sero lactis, mucilaginibus ipsis adjicitur; nonnulli quoque cum camphora sociant, quae miscela panchrestum remedium largitur, quin tamen ei tantas vires jure tribui posse censeamus.

EX VEGETABILIBUS.

§. I.

DE PAREIRA BRAVA.

Magnam sibi olim comparaverat celebritatem ex Brasilia allata *Cissampelos Pareirae* L. vel *Pa-*

(*) Sumi possunt in acutis etiam drachmae quatuor, si multo potui admisceatur nitrum.

reirae bravae radix lignosa, cylindrica, extus rugosa, ex griseo-fusca, intus lutescens, inodora, atque amara. Siquidem tamquam insigne lithonthripticum commendata est, atque in omnibus renum, ac vesicae morbis curandis, ac in quavis hydropis specie efficacissima.

Virtutes tamen has plurimum moderandas censent nuperiores, licet in urinaria organa peculiarem actionem exercere cum Americanis Medicis fateantur.

Datur haec radix a drachma semisse ad drachmam unam. In decocto autem drachmarum trium dosi in libris duabus aquae coquitur ad mediae partis consumptionem, aut in infuso porrigitur.

§. II.

DE TEREBINTHINA.

Triplex *Terebinthinae* species plerumque in officinis occurrit, nempe *cypria*, aut *chia*, quae e *Pistacia Terebintho* L. in Cypro, ac Chio insulis nascenti exstillat; *veneta*, quae e *Pinu larice* L. (*) in nostris etiam regionibus obvia arbore obtinetur, ac *communis*, seu *vulgaris*,

(*) *Méleze* gall. *Maleso* vern.

quae e *Pinu Picea* L. desumitur, ac inferioris notae esse solet.

Recentissime in Santa-Fè Regno planta detecta est copiosissimam, praestantissimamque terebinthinam suppeditans, quam cl. MUTIS a Josepho EXPELETA memoratae regionis Pro-Rege, ejusque amico *Expeletiam terebinthifluam* appellavit.

Terebinthina veneta resina est syrupi consistentiam habens, clara, pellucida, alba, odoris gravis, ingrati, saporis pungentis, amaricantis; *chia* seu *cypria* spissior, tenaciorque veneta est, gratioris odoris, ad flavedinem inclinans, quandoque coerulescens, acrimoniae, et amaroris ferme omnis expers.

Volatile oleum fluidissimum omnes terebinthinae species destillatione praebent.

Manibus contrectatam terebinthinam violae odore urinas imbuere vulgari notum observatione, eademque super excretoria urinae organa agere compertum est.

Quaecumque terebinthina, dummodo pura sit, mirifice valet ad urinas proliciendas. Saepe tamen majori, ac par est, dosi exhibita, ut nonnullis placuit, alvum ducit cum intestinorum ardore, ac tenesmo. Neque semper in urinae difficultate prodest, cum urinae vias valdopere irritet, ac

phlogosim, si adest, intendat, vel etiam, ubi praedispositio, accersere facile possit. Ejus ideo improbandus usus in nephritide a calculo, in blenorrhoea quoque, atque in partium internarum ulceribus, similibusque, quando stimulantia, atque incitantia contraindicantur.

Convenit propterea terebinthina tunc speciatim, quum urinae fluxus ex renum, adnexarumque partium laxitate dependet, tum in blenorrhoea, ubi stillicidium a debilitate partium sustentatur, tum ubi pulmones infarctubus detinentur, quin tamen ulcus adsit, quum ab isto medicamento ulcera potius exasperari, quam abstergi, ac ad cicatricem perduci commode queant.

Externus terebinthinae usus potius commendatur ob stimulantem, atque agglutinantem (dixerim) suam facultatem; hinc vel sola saepe proficit, aliorum etiam additamento mitior reddi potest, ac speciatim ovi vitello, aut cera, et oleo, ut fit in *unguento digestivo*, quod in ulceribus usurpatur ex partium laxitate, imminutoque sensu fotis, quae remedium stimulans requirunt; unde vitae viribus exsuscitatis, bonoque orto pure abstersum ulcus impleatur, indeque coalitum cicatrice firmetur, egregiae opitulatur. Pernionibus non ulceratis optimum remedium est.

Oleum essentiale terebinthinae tamquam exi-

mium diureticum laudatum est. Dosis a guttis quindecim ad guttas viginti. Ad hunc finem apte misceri nonnulli tradunt cum melle ea ratione, ut uncia semis hujus substantiae drachmam unam olei essentialis recipiat, cujus unum, aut alterum cochleare singulis diebus sumendum porrigitur. Alii cum aethere mixtum ad calculos ipsos solvendos commendarunt, sed hasce virtutes reapse possidere saniorum clinicorum experientia nondum est confirmatum.

Extrinsecus autem adhibitum terebinthinae oleum juvat ad illinienda rheumaticis doloribus diu vexata membra, tum in vulneratis recens partibus adinstar balsamorum solet opem ferre; tum in nervorum, tendinumque puncturis, in ipsa gangraena, aliisque aegritudinibus valde proficuum censetur.

Huc referenda nonnulla terebinthinae praeparata, et composita, inter quae *colophonium*, vel *colophonia*, quae suffitibus inservit, et aliquot additur emplastris; item *balsamum arcaei*, et alia ejusdem generis terebinthinam, aliasque resinas recipientia.

Demum ea addenda, quae de turionum *Pini sylvestris* L. diureticis viribus dici merentur: ii siquidem vino, aut sero lactis, vel cerevisia infusi ad urinas largiter ciendas hydropicis egregiam praebent, utilemque potionem.

Datur terebinthina, ut plurimum, ovi vitello subacta a drachma semisse ad drachmam unam; similique modo clysteris forma drachmae unius dosi adhibetur.

§. III.

DE ASPARAGO.

Singulari urinas odore *Asparagi officinalis* L. (*) comestos turiones inficere notissimum. Ii autem et sapidi, et valde grati, si leniter cocti, et butyro, sale, vel alia etiam ratione conditi fuerint. Hinc frequenter mensis solent apponi. Medico autem usu radix anteponitur.

Praeter substantias plures ex acuratissima a clarissimo Robiquet instituta asparagi analysi repertas ea memoranda, quam idem laudatus vir una cum cl. Vauquelin, recentioribus habitis experimentis, obtinuit: haec enim, ut salia *crystallizatur*; neque acida, neque sal neutrum est, ejusque solutio in aqua nullis iis *reactivis* afficitur, quae saepe adhibentur ad salium in aqua solutotorum praesentiam, et naturam dignoscendam; materiem saccharinam etiam invenerunt, quae plurimam cum manna habet analogiam.

(*) *Asperge* gall. *Spars* vern.

Quod ad vires diureticas hujusce radicis spectat, licet summopere a nonnullis commendatae, debiles tamen admodum esse censemus, idque tum Culleni, quam aliorum gravissimorum virorum, tum propria experientia edocti.

Cum aperientibus aliis ita dictis radicibus jungitur, atque decocti forma, vel forti infuso sumitur.

§. IV.

DE PARIETARIA.

Ad parietes revera frequens planta, *Parietaria* ideo dicta est stirps, quae *Helxine*, *Vitraria* quoque in officinis vocatur, atque *Parietaria* est *officinalis* L. (*).

Emollientibus stirpibus accensetur parietaria, sed vim diureticam Matthiolus, aliique eidem tribuunt, eo vel magis quod nitratem potassae contineat.

Succus ideo parietariae datur ab unciis duabus ad uncias tres, vel herba in jusculo leniter decoquitur.

Emplastrum parietariam recipiens pubi impositum lotii excretionem promovet.

(*) *Pariétaire* gall. *Erba panataria* vern.

§. V.

DE FRAGARIA.

Non modo *Fragariae* baccae odoris fragrantia, saporisque suavitate praestantes, grateque acidae, ac refrigerantes habentur; sed radix potissimum medico usu recipitur. Haec e planta habetur ubique obvia, in hortis etiam culta, quae *Fragaria vesca* (*) dicitur a LINNÆO.

Radix ista inodora est, saporem leniter stypticum habet, et amarescentem, nihilque ex chymicis tentaminibus innotuit, nisi quod sulphas ferri aquosae radicis infusioni nigrum impertiatur colorem.

Ob vim blande adstringentem, fibrarum tono adaugendo laudata est fragaria in gonorrhoea, et ad urinam pellendam. In mitiori morbo potest utique lotii separationem augere; blande enim admodum agere videtur, nec ideo ad calculum solvendum, ut nonnulli credidere, sat opportuna.

§. VI.

DE UVA URSI.

Ob insignem vim calculos solvendi, magnam celebritatem nacta erat postremis hisce tempori-

(*) *Fraisier* gall. *Frola* vern.

bus *Arbutus Uva ursi* LINN. (*) in lapidosis alpinis pascuis, ac montanis pluribus Pedemontanis locis crescens, cujus folia potissimum medico usu recipiuntur.

Haec autem praesertim plurimum tannini continent in frigida aqua solubilem, plurimumque principii gummosi, ac resinosi. Decoctio partes efficaces potentius evolvit, quam infusum.

Conveniunt in morbis renum, et vesicae, quae a deperdito partium tono sustinentur; et licet calculos solvi, vel minores reddi ab hisce foliis haud censeamus; minime tamen negabimus dolores a calculo ortos saepissime ab hocce remedio moderari.

Hoc scopo folia siccata dari possunt a drachma una ad drachmas duas, aut ex aqua dupla dosi decoquuntur.

Non amplius immorabimur in pluribus aliis indigenis stirpibus tradendis, quibus diuretica vis tribui solet, quemadmodum essent: *Eryngium campestre*, *Ononis spinosa*, *Leontodon Taraxacum*, *Apium palustre*, *Equisetum arvense*, *et fluviatile* LINN. etc. etc.; quoniam debiles admodum sunt hisce plantis vires, saepe quoque inertes, ac inutiles se praebentes.

(*) *Raisin d'ours*, *Busserole*, *Arbousier* gall.

EX REGNO ANIMALI.

§. I.

DE CANTHARIDIBUS.

Ad Coleopterorum Linnaeanam classem relata sunt insecta quaedam, *Cantharides* in officinis vocata, quae *Meloes vesicatorii* nomine indigitantur a Linnæo, et *Lyttae vesicatoriae* dicuntur a Fabricio. Hisce commixta quandoque in officinis prostat alia *Lyttae* species aeque vesicatoria, aureo refulgens colore, duploque minor, quae *Lytta segetum* ab eodem cl. Viro appellatur.

Reperiuntur autem cantharides potissimum in meridionalibus regionibus, ut Hispania, Gallia, Italia, nec in regione hac nostra desiderantur, praesertim in collibus Taurinensibus, ubi junii, vel etiam julii mensibus sat abunde occurrunt, etsi tamen meridianis horis se se condant, ut calidos nimis solis radios devitent.

Vescuntur cantharides foliis vegetabilium, praecipue *Ligustri vulgaris*, *Lonicerae Xylostei*, et *Caprifolii*, *Sambuci nigrae*, *Fraxini excelsioris*, *Ulmi campestris*, *Cynoglossi officinalis* Linn. etc. Gregatim in his plantis degentes

foetidum odorem spirant, lateque diffundunt, itaut longinque advenientium nares graviter ab eodem afficiuntur.

Memoratis mensibus lectae cantharides, et ferventibus aceti vaporibus suffocatae, probe dein siccatae, et in vase clauso ad usus necessarios servantur.

Principiis scatent admodum acribus, volatilibus, variasque substantias praebent, quum aqua, alcohole, vel aethere pertractantur.

Internum, externumque cantharidum usum tradentes stimulantem maxime vim in ipsis agnoscimus, quae tamen urinae, et generationis organa specifica quasi ratione afficit, unde major urinarum secretio peragitur, et genitalia organa potentius excitantur.

Conveniunt ideo in iis subjectis, quae parum irritabilia sunt, iisve praesertim, quibus summa est fibrarum laxitas, aut resolutio in organis urinariis occurrit; hinc in hydrope ascite, in impotentia virili, in urinae incontinentia, quae a paralysi fit, in blenorrhoea inveterata, verbo iis in morbis, qui a solidorum inertia foventur.

Raro, et caute admodum interno usu adhibendae cantharides, necnisi oleosa, aut demulcenti aliqua substantia junctae, ac magna liquidi copia dilutae, et temperatae sunt praescribendae,

Pro interno vero usu tinctura potius cantharidum exhibetur, parva trium, aut quatuor guttarum dosi, sensim ad sex, decem, viginti, et ultra, si opus, producta, semperque mucilaginoso, et aquoso aliquo vehiculo commixta.

Quae interim a cantharidibus majori, ac par est, dosi intus sumptis eveniant mala, quibusque medicamentis curanda nunc dicendum. Ventriculus enim, hepar, intestina non modo inflammantur, sed princeps, ut superius innuimus, earum vis in urinaria organa dirigitur; unde praeter enormes ventriculi, ac praecordiorum cruciatus, ac sitim, penis etiam molesta erectio, immodica, et fere insatiabilis coëundi cupiditas, stranguria, ischuria, mictus cruentus, renum, vesicae, penis inflammatio, et tandem earum partium gangroena suboriuntur, quam mox mentis aberratio, et mors consequuntur.

Hisce itaque occurrendum primo: emetico, quum promte exhiberi potest, unde cantharides e ventriculo immediate eliminentur, alia dein symptomata lacte, emulsione, oleo, mucilaginosis decoctionibus ex malva, hordeo paratis, jusculis pinguibus, ovis sorbilibus, clysmatibus, et injectionibus oleosis, vel lacteis sedanda. Inter omnia vero camphora proficua est lacte, emulsione, vel gummi arabico sociata, quae velut antidotum, haud immerito commendatur.

§. II.

DE ASELLIS.

A cinereo, ut asino est colore, vel tardo ejusdem animalis incessu, licet maximo instructum pedum numero, *Aselli* nomen tributum est insectis scilicet, quae *Onisci Aselli* (*) appellata sunt a Linnæo, et Fabricio, ac in officinis *Millepedum*, vel *Asellorum* simpliciter nomine cognoscuntur. In domibus, muris, hybernaculis, lignisque putridis habitant.

Viventes, et probe sordibus detersi aselli, vini vapore suffocati tepido loco siccantur, ac dein in vitreo vase clauso ad opus servantur.

Juxta recentiorem horum insectorum analysim constat, eadem nihil aliud continere, praeter animalem gelatinam, quae nullius prorsus est, ut medicamen, emolumenti.

Veteres tamquam diureticum insigne habuerunt millepedes, idque praestare adhuc a nonnullis creduntur, dummodo validis dosibus exhibeantur. Sunt, qui in mortario contusos, ac succum dein ex iisdem elicitum jusculo, vel diureticis decoctionibus, aut vino sociatum utiliter adhibuisse contendant; verum in tanta aliorum remediorum

---

(*) Vern. *millepé*. Gall. *cloportes*.

urinam et tutius, efficaciusque procitantium abundantia, hoc carere posse sine detrimento arbitramur; saltem tunc solum confugiendum, quum praeceps medelae occasio non est.

SECTIO OCTAVA.

DE MEDICAMENTIS

SUPER GENERATIONIS ORGANA PRAESERTIM AGENTIBUS.

Obscuram, ac difficultatibus implexam admodum generationis doctrinam Physiologis relinquentes, illud tantum assumemus, organa virorum genitalia humorem generationi aptum secernere muliebribus organis recipiendum, servandumque; quae ideo istorum organorum functiones perturbare valent, quibusque occurrendum sit praesidiis, dicendum nobis est, et primo quidem de iis, quae virorum organa respiciunt.

Morbosus status virilia organa saepissime afficiens impotentia est, quae praeter caussas organicae conformationis vitio subortas, alias agnoscit ipsam quoque inducentes, ut senilem aetatem, veneris abusum immodicum, evacuationes nimias, haemorrhagias iteratas, venena quaedam, animi

affectus graviores, aliaque virilem potestatem aut enervantes, vel penitus destruentes.

Huic morbo, hisque causis occurrendum *aphrodisiacis* sic dictis remediis complures censuere; ast multas substantias hoc titulo insignitas in nonnullis materiae medicae codicibus invenire est, quae tamen hunc effectum non producant. Enim vero generationis organa a quibusdam exstimulari substantiis, specifico quasi modo haud denegabimus; earum tamen actio et infida saepe, multasque in oeconomia animali turbas excitare apta.

Interdum vero contingit, ut impotentia a causis iis producatur, quae ab artis subsidiis devinci patiuntur, uti ea, quae a nimia mentis contentione producitur, cui scilicet, mutato regimine, instaurantibus, roborantibusque substantiis, firmato corpore, occurrere possumus. Tum etiam quando impotentia ex venere nimia oritur, praesertim solitaria; quo in casu mentis actio, quantum fieri potest, alio avocanda, eupeptoque vivendi genere, modica corporis exercitatione, similibusque succurrendum.

Praeter hasce affectiones, quae ex nervosae potestatis in generationis organis debilitate proficiscuntur, aliquae dantur, quae ab eorum organorum adaucta nimis vi pendent, cujusmodi sunt satyriasis, seu priapismus. Dirus hic morbus, qui obscoenis

potissimum ideis fovetur, ac sustentatur, difficilis saepe curationis est, caetero iis oppugnandus remediis, quae refrigerantia, sedantia dicuntur, utendum balneis, animus alio convertendus, itinera instituenda, atque similia. Ii quippe haud sumus, ut remedia *antiaphrodisiaca* dari censeamus, sicuti nonnullis placuit: si enim substantiae sunt, quae hunc effectum revera produxerint, ut recte advertit Cullenus, aliis potius expletis indicationibus praestant, quin directe id effecisse comprobatum sit. Saepe etenim simili affectu divexatis, largis, ac repetitis venaesectionibus, et jugi balneorum usu, et severa diaeta, ac moralibus subsidiis salus fuit restituta; ex quo concludendum censemus, nulla esse remedia specioso hoc nomine vere insigniri digna.

Dicendum nunc de iis praesidiis, quae in mulierum organa agere affirmatur, ea praesertim, quae *emmenagoga* communiter appellantur. Haec licet proprium, distinctumque genus constituere haud penitus videantur, quoniam communia potius, quam specifica auxilia sunt, quae ad menstrua cienda a Medicis usurpantur; quum tamen nonnulla sint, quae potiorem, et fere specificam efficacitatem in multis casibus habent, de iis ideo quaedam dicenda.

Plura sunt, valdeque varia impedimenta, quae

liberae, expeditaeque ex uterinis vasculis sanguinis eruptioni, ac muliebri fluxui se se opponunt, ut iis removendis una tantum eademque esse nequeat curandi methodus. Saepe enim menstruae evacuationis caussa a virium uteri praesertim infirmitate pendet; alias ab ejusdem visceris stimulo fovetur, itaut in primo roborantia, ac stimulantia conveniant, et in altero sedantibus, ac infirmantibus opus sit.

Interdum etiam evenit, ut ex caussis subitis menstrua supprimantur, quemadmodum tristes animi affectus, terrores, ictus, casus, haemorrhagiae, evacuationes immodicae, similia valent efficere. Pro varia itaque caussa, diversa adhibenda curatio; qua in re illud initio animadvertendum plus saepe diaetetica praesidia, quam pharmacorum farraginem valere. Alimenta ideo, et poculenta vires instaurantia in debilibus subjectis non raro per se menstruis avocandis sufficiunt; exercitationes item corporis, gestationes variae, vectio in rheda, animi securitas, hilaritasque dum corpus omne instaurant, naturae motus ad uterina loca promovent, suppressosque menses revocant.

Hisce addendae frictiones in hypogastrio, pube, femoribus, cruribus, pedibusque calenti panno institutae, tum cucurbitulae siccae coxis impositae, calidi vapores, semicupia, electricitas ipsa

aliquando. At in robustis venaesectio in pede saepius, vel hirudines circa muliebria cum fructu usurpantur. Ex quibus patet; dum lymphaticis ita dictis, seu phlegmaticis temperamentis tonica, sanguineis venaesectiones, sedantia demum nervosa mobilitate praeditis convenire.

Usitatiores quorumdam remediorum species, quibus medica ars nititur suppressa menstrua provocare, ex vegetabilibus praesertim desumuntur, inter quas sequentia veniunt.

§. I.

DE GALBANO.

Succus tum sponte, tum incisione e trunco *Bubonis Galbani* L. exstillans, ac dein concretus in grana, vel in massas ex Syria, Arabia advectus *Galbani* nomine in officinis dignoscitur, gummi-resina scilicet nauseabundo, alliaceoque odore praedita, quae destillata oleum dat volatile coeruleum, quod ubi servatum est, rubrum evadit; tum liquorem acidum, et oleum empyreumaticum. Plus insuper resinosarum, ac gummearum partium continet; in alcohole, vino, aut aceto minime solvitur, sed in menstruo ex duabus alcoholis, et una aquae partibus simul commixtis, subigiturque mucilagine gummi arabici, ovi vitello, sirupo de hibisco etc.

Inter nervina, et antispasmodica reponitur galbanum; hinc hystericis affectibus, ut gummiresinae aliae foetentes subvenire, experientia confirmavit. Ad menstrua quoque reseranda haud infrequentis fuit usus, licet effectus non semper aeque responderit.

Extus potius admodum ad bubones, et tumores maturandos, ut ajunt, et ad dolores mitigandos tamquam resolvens, emolliens, et digerens habetur. *Emplastrum Diachylon cum gummi*, usitatissimum remedium, galbanum etiam recipit.

Pilulas ingreditur, daturque quatuor, aut sex granorum dosi. Valde irritans remedium est, et calefaciens; hinc utile est mucilagine involutum, aut mixturis additum exhibere.

§. II.

DE GUMMI AMMONIACO.

A Jovis Ammonis templo, quod in ea Africae parte olim reperiebatur, quae hodie *Barca* regnum dicitur, *Ammoniacum gummi* nuncupata est substantia, quae ex umbellifera planta in Africa crescenti probabiliter obtinetur, optime a clar. WILDENOWIO descripta, et nitidissima icone illustrata in Horti Berolinensis Fasciculo quinto

(pag. 53 tab. 53 et 54) sub nomine *Heraclei gummiferi*. Ea autem occurrit magnis massis, vel grumis coloris rufescentis, cui intermixta sunt puncta albidi coloris, itaut quo plura lactea grana in eadem distinguuntur, eo et praestantius habetur hoc gummi. Foetido odore praeditum est, ejusque sapor subdulcis, ac nauseabundus.

Ad gummi-resinas pertinet, ubi principium gummosum majori copia reperitur ac resinosum; quae tamen principia intimo adeo connubio juncta sunt, ut aeque ab aqua, ac ab alcohole solvi patiantur.

Acris, et calefaciens substantia est, quae expectorationi favet, ac promovendis menstruis etiam adhibetur. Quapropter ubi pulmones denso, ac pituitoso humore sunt farcti, dummodo febris absit, nullusque inflammationis sit metus per se, vel cum oxymelle scillitico mixta, addita aqua destillata, et syrupo quodam, opportuna esse solet.

Ejus insuper usus frequens est in obstructionibus viscerum imi ventris, ubi pilularum forma tantum, vel in miscela aliorum efficacium, ut extracti cujuspiam amari, saponis, etc. adhibetur. Sed et purgandi scopo apud nos frequenter in usu est haec gummi-resina.

Haud minus praestans habetur in tumoribus resolvendis; pluribus ideo emplastris conficiendis

inservit, ubi resolvendi indicatio sit. Ingreditur quoque emplastrum *Diachylon* compositum, emplastrum de cicuta, de meliloto etc.

Datur utplurimum a granis duodecim ad scrupulum unum; largiori dosi alvum movet. Saepissime in aqua destillata solutum porrigitur gummi ammoniacum, et tunc *lac*, sic dictum, *ammoniacum* praebet. Pilulae quoque ex eo et aloe conficiuntur, quae cum in obstructionibus, tum etiam ad menstrua pellenda laudantur: hae tamen non sine incommodo agere consuescunt.

§. III.

DE MYRRHA.

Vel ab antiquis temporibus Medici eximias *Myrrhae* virtutes praedicarunt, variisque auxiliari morbis tradiderunt; gummi-resina est myrrha acris, et amara admodum, quae ex Ægypto, ac praesertim ex Arabia felici adfertur in glebas rubro-flavescentes, fragiles, odorem grate fragrantem emittentes. Arbor, e qua obtinetur, ad *Mimosae* Linnaeanum genus pertinere videtur, sed nondum satis notum.

Ex chymicis constat myrrham plus gummosis quam resinosis partibus redundare. Eadem insuper oleum essentiale magna quantitate continet, aquae in destillatione adhibitae superinnatans.

Stomachicum praestantissimum exhibet, cujus usum in literatis viris summopere commendat CARTHEUSERUS. Ast exigua dosi sumenda est myrrha, quum, CULLENO monente, ad drachmam semis vel scrupulos duos ingesta molestum caloris sensum in ventriculo cieat, celerem reddat pulsum, caloremque per universum corpus dispergat; locum itaque tantum habere debet in fibrarum laxitate, ac flacciditate, morbisque ab eadem caussa pendentibus. Hinc in amenorrhoea, quae potissimum a vitalium uteri virium infirmitate sustentatur, vel sola, vel cum martialibus juncta prodest.

Datur vel aquoso, vel spirituoso menstruo soluta; minus efficax, mitiorque in primo casu, potentior in altero, promtior est, valentior effectus. Amaris, roborantibus bolis additur dosi granorum sex, decem, aut paullo plus. Tabellae de myrrha in officinis parantur, quae ore detentae cum saliva miscentur, diluunturque, ac in ventriculum depulsae ipsum roborant. Oleum ex hac gummi-resina elicitum, ac saccharo commixtum eleo-saccharum praebet medica vi admodum insigne. Tinctura mirrhae magnas etiam utilitates promittit.

Sinuosis, vetustis ulceribus detergendis extus a Chirurgis cum fructu adhibetur.

§. IV.

DE SABINA.

Etsi fabulis plena quae de *Sabina* apud veteres reperiuntur, non negandum tamen actuosam stirpem esse, et in uterum vim suam peculiari modo dirigere. Pertinet ad *Juniperi* genus, et a Linnæo *Juniperus Sabina* ideo nuncupatur; frutex ea est in alpinis rupestribus calidioribus apud nos haud infrequens, et in hortis passim excultus.

Folia fortissimi, et gravis odoris sunt, saporis calidi, et acris, magnamque essentialis olei proportionem continent.

Insignis certe hujusce stirpis in uterum potestas, ut vulgo adhuc credatur abortum facere posse. Et sane exstimulans, et calefaciens remedium sistit sabina, et sanguinis circuitum plurimum adaugens, at vires ventriculi simul labefactans; quapropter non sine magna cautione adhibendam esse censemus, maxime si suspicio fuerit graviditatis, vel de mobilibus admodum foeminis agatur.

Nonnullis aliis morbis debellandis inservire sabinam traditum est. Sic diureticam virtutem exerere, necnon sudorem promovere affirmatur, ideoque velut guajaci succedanea habetur in podagricis, et rheumaticis affectibus, ubi sudor pellendus.

Cl. GILIBERT folia sabinae in pulverem trita dosi granorum duodecim febres intermittentes variae indolis, quae aliis remediis reluctaverant, curasse observavit.

Generatim foliorum in pulverem redactorum dosis est a scrupulo uno ad drachmam unam. Dupla dosi ex aqua, aut jusculo decoquuntur.

Extus tumoribus oedematosis, ac contusionibus resolvendis inservit sive in fotu, sive in epithemate.

§. V.

DE RUTA.

Fortis, gravisque odoris quoque est *Ruta, graveolens* ideo a LINNÆO nuncupata (*). Calidiorum regionum, et Nicaeesis praesertim agri incola, ac in hortis culta, quae adeo acris est, ut manibus contrectata pruritum excitet, et cuti applicita eamdem rubefaciat. Extractum aqua paratum copiosius quam quod alcohole obtinetur; hoc tamen acrius, actuosiusque. Ubi destillatio aquae ope fit, oleum elevatur flavum, et obscurum, odoris minus ingrati ac plantae odor, saporis mediocriter acris, sed exigua admodum proportione.

(*) *Rue* gall. *Rua* vern.

Ex hisce liquet plantam hanc in systema nervosum actionem efficaciter exerere, unde tamquam antihysterica habita fuit, quin et assae foetidae ideo succedanea. Nec minus in uterum activa; unde mulieres saepe eadem utantur in parce, aegreque fluentibus menstruis, ac in lochiorum suppressione.

Utilis quoque admodum in hypochondriasi a viscerum, et praesertim cibarii canalis labe, in colica flatulenta, ac in verminosis affectibus. Nostrates revera hocce in casu succum expressum, qui intensissime amarus est, sumunt, ut anthelminticum remedium.

Folia pugilli unius dosi tepenti aquae infunduntur. Pulverata a granis xx ad drachmam unam in vino albo exhibent. Oleum volatile a guttis quatuor ad quinque in apto vehiculo porrigitur.

Extus clysteribus, injectionibus, et epithematibus antihystericis, et vermifugis conficiendis inservit; necnon resolvendi, ac exstimulandi ergo usurpatur. Calenti oleo adjecta aliquot folia vulgare remedium vulnerarium suppeditant, quod ad levia vulnera consolidanda promtissime, et efficaciter valet.

§. VI.

DE CROCO.

Variis in locis colitur liliacea planta, *Crocus sativus* (*) ideo a LINNAEO vocata, sponte tamen in Oriente crescens. Croci autem nomine veniunt in officinis fila quaedam, seu laciniae trifidae e summa styli parte emergentes, rutiloque praeditae colore, quae saepius lucri caussa adulterari solent *Carthami tinctorii* L. (**) flosculis. Fraus ista tamen facile ex intenso colore rubro, quem aqua recipit, quum in ipsa mersi sunt, detegitur. Luteae siquidem contrectantium manus redduntur, eodemque dentibus confecto flavedine saliva inficitur. Modice aromatica sunt memorata fila, nec fragrantia carent.

Licet aqua medicae croci proprietates educi queant, aptius tamen vehiculum censetur alcohol.

Cum interno, tum externo usu crocus valde probatur, multamque habet in effectu cum opio affinitatem; hinc velut stupefaciens, ac narcoticum summum habetur, necem etiam inferre aptum.

Laudatur in hysterica passione, necnon ad suppressa menstrua revocanda; hinc velut emme-

(*) *Safran* gall. *Sofran* vern.

(**) *Safran bâtard* gall. *Safranon* vern.

nagogum validissimum praedicatur. Juvat quoque in morbis pectoris, ubi expectoratio promovenda est, in asthmate, tussi catarrhali, dyspnoea, quando praesertim haec nimia irritatione stipantur, et laxitate, infirmitateque organi foventur, quo in casu cum aliis tonicis, ac stimulantibus consociatur.

Datur in pulverem a granis decem ad scrupulum unum, caute majoribus dosibus ministrandus. Tinctura quoque alcohole paratur, a viginti ad triginta guttas exhibenda. Syrupus e croco paratus infantibus gratus a dimidia uncia ad integram porrigitur.

Ingreditur laudanum liquidum Sydenhamii, pluresque alias pharmaceuticas compositiones.

§. VII.

DE ARISTOLOCHIA.

Tres *Aristolochiae* species in officinis notae, *rotunda* nimirum, *longa*, et *vulgaris*. Postrema haec *Clematitis* dicitur a Linnæo, duo aliae *rotundae*, ac *longae* triviali nomine ab eodem indigitantur. Nicaeenses vineas potissimum inhabitat *longa*, umbrosis collibus delectatur *rotunda*, nec in Pedemontana planitie rara ad sepes interdum, et subhumidis arvis est *Clematitis*. Earum

radix officinalis, medicoque usui dicata, rotunda tamen frequentius apud nos adhibetur.

Acres, amarae, nauseosae sunt aristolochiae, fortique odore praeditae; copiosum resinosum extractum alcohole praebent, quod valde amarum est, et aloëtico odore praeditum. Extractum aquosum exigua copia obtinetur, saporis est salsi, amarescentis, odoris sambucini.

Ex vi ipsis tributa lochia pellendi *Aristolochiae* nomen inditum; sed tota earum vis in exstimulanti valida actione consistit; quare in retentis menstruis, lochiisque, ubi a laxitate morbus fovetur, necnon ad secundinas pellendas laudantur.

Commendata quoque aristolochiae radix in podagra atonica, et in arthritide; ingreditur ad hunc finem *pulverem antiarthriticum Ducis Pòrtlandiae* adeo celebratum, qui ex aequalibus aristolochiae rotundae, summitatum gentianae, et foliorum centaurii minoris, chamoedrys, et chamaepitys partibus conficitur, cujusque drachma una singulo mane in aqua, aliove liquido sumitur per aliquod temporis spatium.

Datur aristolochiae radix pulverata a granis decem ad scrupulum unum; in infuso a drachma semisse ad drachmas duas.

Extus pulvis hujusce radicis spongiosis, aut

sordidis ulceribus inspersus ad eadem detergenda non inutile remedium praedicatur.

Plures aliae recenseri adhuc possent indigenae stirpes emmenagoga vi nec incelebres, ut *Artemisia vulgaris*, *Pyrethrum Parthenium*, *Adianthum Capillus veneris*, *Scandix Cerefolium*, aliaeque, sed generatim parum activae, nec sat insigni vi praeditae, ut de iis dicere supersedendum esse censeamus.

EX MINERALIBUS.

DE FERRO.

Non roborandi, ac adstringendi tantum scopo, sed pro egregio emmenagogo a quibusdam Therapeutis habetur *Ferrum*, sive *Chalybs*, aut *Mars*, metallorum omnium utilissimum, saluberrimumque, ideo a primis jam salutaris artis incunabulis medico usu receptum.

Ejus vires juxta nuperiores Physiologorum, et Medicorum indagines pendent ab actione, quam efficaciter exercet super generalem viventium partium contractilitatem, ubi eaedem laxitate, ac debilitate peccant, et praesertim super tunicas vasculares.

Hinc patet, cur martialia opportuna censeantur

in amenorrhoea, ubi maxime chlorosis ex eadem suboritur, ac universus organorum status vitalitatis defectum ostendere videtur, unde, praeter adstrictoriam vim, quam manifeste in hoc casu exerere videtur, simul eam adjunctam habet ad removendam debilitatem accommodatissimam, roborantem nimirum, quum ad haec artis subsidia jure quoque ferrum pertineat.

Patet etiam, cur idem auxilium in menorrhagia ipsa, quae ab uteri vasorum laxitate, fractoque robore orta sit, conveniat, uti et in leucorrhoea, aliisque morbis, quos similis caussa intulerit, foveatque, adeout in complurium aegritudinum reliquiis ex laxitate pendentibus abigendis, in cachexia, hydrope ipso, quum a deperdito absorbentium vasculorum tono sustentatur, non vero a viscerum organica affectione, vel scirrhosa glandularum fovetur labe optimum sistat praesidium.

Multimodis exhiberi solet ferrum, nonnulli scobem ferri non rubiginosam, seu limaturam martis super porphyritem lapidem, vel alio modo praeparatam anteponendam esse censent, dummodo primae viae a morbo, aut ab assumptis acore immunes se praebeant, ut pondus sic, nausea, erosionis sensus, dolores, aliaque inde oriunda vitentur incommoda. Alii oxydum ferri nigrum,

seu aethiopem martialem laudant. Utraque sane remedii species facile stomacho fertur, atque ad agendum promptior, et una validior est, idque habet etiam, ut commode aliarum substantiarum commixtionem admittat, cujusmodi sunt aromata plura, ut cinnamomum, macis, item valerianae, gentianae radices, hisque similia alia.

Rectior adhibendi ratio est ab exiguis inchoare dosibus, etiam saepe de die iteratis, potius quam semel, iterumque a duodecim granis ad vigintiquatuor quavis vice propinare memoratas ferri praeparationes.

Extant quoque in officinis duo ejusdem metalli oxyda carbonata diverso nomine insignita, quae tamen vix differunt, nisi pro diversa oxygenii proportione: haec sunt *crocus martis aperitivus*, seu *oxydum ferri luteo-fuscum carbonatum*; et *crocus martis adstringens*, seu *oxydum ferri rubro-fuscum carbonatum*, quae a granis aliquot ad scrupulum unum dari queunt, sed utpote supervacanea aestimantur.

Sunt qui vitriolum martis, seu sulphatem ferri exigua admodum dosi intus administrari posse suadeant, sed quum nauseam, anxietates, pluresve alias excitare turbas consuescat, satius credunt cautiores Medici externo usui fere relinquere, cum sanguinis ex aliqua parte fluxus vitrioli ipsius

efficacitate sisti potest, simulque apta compressio adhiberi; hinc cum fructu in narium haemorrhagiis super linum, aut gossypium idem conspergunt; tum in penicillos, pyramides, et conos convolvunt, ac vulneri applicant Chirurgi.

Commodum potius remedium saepe praebet *tartris ferri cum potassa*, aut *bolus martis* in aqua, vino, vel aquoso alcohole solutus, tum *tinctura martis tartarisata*, quae idem sal est; sed sub liquida forma. Utroque modo paratum ferrum in morbis chronicis a laxitate pendentibus, cachecticis, languidis, hypochondriacis optimum roborans praebet, ac adstringens remedium, quod a viginti ad triginta guttas potest exhiberi.

Rari nunc interim usus est *tinctura martis* Zwelferi e sulphate ferri, et acetite potassae composita, ac *tinctura martis alkalina* Sthalii e carbonate potassae cum oxydo ferri, item *tinctura martis* Ludovici etc.

Memoratu adhuc dignum censemus ferri praeparatum, quod *ens martis*, seu *flores salis ammoniaci martiales*, vel *murias ferri ammoniacalis sublimatus* dicitur. Hoc siquidem a granis quatuor ad scrupulum unum datum in superius allatis casibus utile est, tum etiam pueris rachitide affectis aptari potest a grano uno incipiendo, aucta pedetentim dosi.

Utilissima denique ea est martis praeparatio, quae *vinum chalybeatum* audit; haec unciarum duarum dosi singulo mane potest exhiberi, atque eximium stomachicum praebet, ut pluries adnotavimus.

Aliqua dicenda supersunt de aquis mineralibus ferrugineis. Eae quippe vel simplices, vel ferrugineae, simulque acidulae, ac ferrugineo-sulphuricae prostant, quas nunc ars levi opere, ac tenui pretio imitari didicit, uti videre est in nonnullis pharmaceuticis codicibus, et praesertim in eo, quem nuperrime cl. Parmentier evulgavit.

De hisce tamen aquis, earumque usu nihil addam, quum tot tantaque scripta earumdem utilitatem abunde patefaciant, vel dubiam reddant.

CAPUT V.

DE VENENIS SPECIATIM.

Aliqua generatim de venenis superius innuimus, necnon substantias quasdam venenatas in medicamentorum censu opportuno loco reposuimus. Nunc, missis, quae ad venenorum actionem, et naturam proxime respiciunt, quoniam nostrum non est ea hic loci perpendere, nec animus est (ut superius jam diximus) falcem in alienam messem immittere; venenatarum complurium substantiarum historiam, usumquè medicum tantum trademus.

Atque ut ordine quodam procedamus, ducta ab eorum agendi modo divisione, venena in *narcotica*, et *acria* partiemur.

Articulus I.

De venenis narcoticis.

Quae cerebri, nervorumque vim, et actionem stupefaciunt, somnolentiam, stuporem, et quandoque delirium inducunt, *narcotica* appellantur.

Hisce effectibus prompta medela emeticum est, si adhuc in ventriculo, ac intestinis haereat ve-

nenum, acida dein, succus citri, acetum, spiritus nitri, aut vitrioli aqua dilutus, enemata irritantia, coffeae infusio satura, vesicantia, stimulantia fortiora adhibenda.

A vegetabili autem regno exordientes, sequentia occurrunt.

§ I.

DE MANDRAGORA.

Virulenta admodum, et soporifera est *Mandragora officinalis* W. in Hispania, Italia, alibique crescens, adeo a veteribus nobilitata ob radicis formam, incoxantem hominem, ut vulgus sibi persuadet, referentem, unde fabulae plures; quibus tamen missis, illud potius adjiciemus medicos vel a remotissimis temporibus radice ipsa usos esse ad dolores potissimum sedandos; ut tamen cautiores ab interno ejusdem usu recte abstinendum censent.

Externo itaque usu tam radix, quam folia cataplasmatibus, et emplastris resolventibus recipiuntur in infarctubus glandularum, scrophulis, venereis bubonibus, ex suppressa praesertim gonorrhoea ortis emolliendis, ac dissipandis etc.

Si quis velit intus exhibere, dari potest mandragora a grano uno ad quatuor electuarii forma, aut cum melle juncta; in infuso a scrupulo semisse ad scrupulum unum in apto vehiculo.

§. II.

DE BELLADONNA.

Consimiles praecedenti vires habet *Atropae* Linnaeana species, *Belladonna* dicta; quae in officinis *Solani furiosi*, et *Solani maniaci*, *Solani lethalis*, aut *Belladonnae* simpliciter nomine nota est, in pluribus umbrosis locis Pedemontanae regionis obvia, tristi admodum aspectu, ut pleraque venenata vegetabilia, facile dignoscenda. Baccas cerasa referentes pro fructu habet, a quibus pueri facile decipi queunt, quum et venenatae quoque sint, ut reliquae plantae partes.

Quamquam extus potissimum belladonnae radix, et folia insumantur, non reticendum tamen et interno usu laudatam fuisse belladonnam adversus cancrum occultum, hydrophobiam, dysenteriam adynamicam etc. Hae tamen vires observationibus adhuc confirmandae videntur, et caute prudenterque admodum ministranda intus planta virulentis adeo viribus praedita.

Folia exsiccata dosi scrupuli unius in aquae unciis decem infunduntur, hujusque infusi unciae duae singulis diebus exhibentur, aucta etiam dosi, si aeger ferat absque sopore, et oris siccitate. In pulverem vero trita dantur a grano uno

ad quatuor, et etiam sex. Syrupus baccarum, ob soporiferas vires in dysenteria profuisse dictus est.

Externe itaque radix cum lacte cocta adhibetur ad duros tumores resolvendos. Folia utiliter duris quoque tumoribus, etiam cancerosis laudata sunt.

Novissime autem cl. Demours hujus plantae utilitatem jam a Raimaro praedicatam denuo celebravit ad pupillae lumen amplificandum, sive, quum opus est, cataractae eductionem reddere faciliorem, sive quum ex praegressa phlogosi arctius evasit, ut lucis transitum sufficientem deneget ad visionem efficiendam; hoc in casu, quum sublata inflammatio est, laudatus auctor expertus est instillationem extracti belladonnae valde efficacem esse pupillae penitus restituendae, aut saltem morbi solutioni promovendae.

Convenire etiam hoc remedii genus potest, quando cornea maculis foedata, opaca in centro facta est. Quippe tum pupilla grandiori reddita, lucis radii penetrare ad interiora oculi possunt, aegroque visionem ad dies aliquos praestare. Parique ex ratione laudat, quum cataracta occupat crystallinae lentis centrum, cujus diaphani margines supersunt, ubi hoc fit, amplificatio pupillae per artem procurata, visum aegris utcumque restituit ad tempus aliquod; sicque per intervalla repetito videre, et legere, et vitae muniis fungi

possunt; quod sane jucundum, et momentosum; donec tandem operationi chirurgicae, integraeque curationi locus fiat. Hanc porro extracti belladonnae administrationem innocuam testatur Vir clarissimus, necnisi levem fugacem ustionis sensum inferre.

§. III.

DE TABACO.

Postquam in *Tabago* Insula ab Hispanis in Europam transvecta est planta, cui idcirco *Tabaci* nomen impositum, adeo ejus celebritas increbuit, ut nihil notius, maximusque ejus nunc usus sit apud cunctas fere gentes. Ea autem ad *Nicotianae* Linnaeanum genus spectat, ita vocatum ex Joanne Nicot, Francisci II Galliarum Regis apud Lusitanos legati, qui primus semina hujusce plantae ad Catharinam de Medicis misit, ac virtutes vulgavit.

Non tamen sola *Nicotiana Tabacum* L. in America australi crescens *Tabaci* vulgari nomine insignitur; sed aliae quoque species iisdem propemodum proprietatibus gaudentes ad tabaci praeparationem insumuntur, inter quas praesertim memorantur *fruticosa* et *rustica* L., ut alias complures mittamus sapore aeque acri, urentique, necnon penetranti odore praeditae.

Chemica analysi educitur ex tabaci foliis extractum aquosum acerrimum; spirituosum autem valde amarum et urens masticatione deprehenditur.

Vario modo adhiberi solet tabacum: vel enim naribus pulveris forma attrahitur; vel in funem contortum masticatur, aut ejus combusti fumus ore excipitur, quod nautis, militibusque, humidis praecipue in regionibus, usitatissimum est.

Quaestionem hic non attingam de familiari ejusdem usu pulveris, fumi forma, vel masticati salubri, aut insalubri; quibusdam enim vere proficuus observatus est, muco narium, vel saliva uberius prolecta; sed et illud verissimum virulento, et, ut ita dicam, temulento principio multis nocere, vertiginibus inductis, quas alii saepius caussae inexperti tribuunt, adeout impune eodem carere genus humanum potuisset, sequior potissimum sexus, cui sensiliores nervi sunt, cuique indecora a nicotianae pulvere sordities est.

Quod usum medicum respicit, ipsum externum potius, quam internum probamus. Et priori quidem modo naribus attractus nicotianae pulvis activum errhinum inassuetis potissimum, ut diximus, constituit; quemadmodum masticata folia, vel fumus ore haustus sialagogum validum suppeditant in quibusdam odontalgiae speciebus, quae nempe nec inflammationi, nec nimiae sen-

silitati sociantur. Utilis quoque nicotiana clysteribus recepta, quum valida actio super intestina desideratur, vel ad asphycticos revocandos, vel levandos, ad apoplexiam, ac soporosos affectus, vel ad pertinacissimas ventris constipationes reserandas, aut etiam quando ascarides fugandae sunt.

Ex hactenus vero dictis patet quid censendum de exageratis hujus plantae viribus ad visum acuendum, ad cerebrum roborandum, similia.

Ejusdem administrandae modus usitatior, quum in pulverem vel rudem, vel tenuissimum redigitur. Extractum ejus aquosum a pharmacopolis paratum duorum granorum dosi intus porrigitur. Syrupus etiam ex eodem conficitur, sed et exigua dosi dandus; violenta tamen haec praeparata, ut iterato moneamus, nec ideo facile a Medicis exhibenda.

Ad clysteres autem vulgari ratione decoquitur uncia semis foliorum nicotianae, pro unaquaque libra recepta, sed frequentius fortasse, tutiusque fumi forma in rectum immittitur. Etiam fotus ex decoctione tabaci parantur valde actuosi, ac resolventes; sed neque externus hujus plantae usus absque multa cautela permittendus; nam et nauseam, et vomitum, et vertigines non semel producere visus est.

§. IV.

DE HYOSCYAMO.

Vulgaris admodum locis pinguibus ruderatis, et suburbanis stirps est *Hyoscyamus niger* Linn. (*) narcotica vi insignis, odore suo virulentiam ostendens, cujus tamen antiquus est in medicina usus.

Parum admodum de chemica hujusce plantae analysi novimus perinde ac de belladonna; constat tamen infusum ex siccatis ejusdem foliis factum magna extractivi principii copia imbui, ac obscurum admodum colorem acquirere.

Plures post Storckium hyoscyami extractum commendarunt in mania, epilepsia, convulsivis morbis, haemoptysi, tussi sicca, ubicumque nimirum efficax anodynum requiritur ad abnormem nervorum actionem consopiendam. Caute tamen, prudenterque admodum ministrandum est remedium, quod pleniore dosi porrectum anxietatem, vomitum, cephalalgiam, visus hebetudinem, coecitatem, somnolentiam, aut insomnium inducere valet.

Initium fieri solet a grano uno extracti, quod ex foliis praesertim parandum, sensim aucta dosi

---

(*) Vern. *erba camola*. Gall. *Jusquiame*.

ad grana quinque etiam ad quindecim, et viginti; sed audacter nimis fortasse.

Folia contrita, atque in sartagine assata dolentibus haemorrhoidibus utiliter apponuntur, necnon musculis spasmo dolentibus prosunt, et instar aliorum narcoticorum, induratarum glandularum resolutionem adjuvant.

Vulgus in odontalgia ad dentem dolentem fumum ex combustis seminibus adducit, quod tamen nec periculo vacat, temulentia inde ab hausto fumo subsequente. Nec sine multa circumspectione clysteres hyoscyamum recipientes immittendi.

§. V.

DE STRAMONIO.

Hyoscyamo valde aemulas vires habet *Stramonium* in ruderatis, et ad vias pluribus Pedemontanis locis frequens, quod *Datura Stramonium* (*) a LINNÆO vocatur.

Odore virulento admodum, et narcotico donatur, ejusque sapor intensissime amarus est. Succus expressus, ac ad extracti consistentiam redactus nitratem potassae continere videtur, cujus praesentia ex sapore, et gustu facile detegitur.

(*) *Pomme épineuse* gall.

Tam radix, quam folia, et semina iisdem viribus pollent; laudatumque fuit stramonii extractum a cl. STORCKIO in mania, epilepsia, et chorea sancti viti, non semper tamen felici cum eventu, quod ex eo factum, quia casus peculiares, et adjuncta haud semper adnotaverint, in quibus adhibuerunt, aut potius adhibere licebat.

Dosis, quae generatim insumpta fuit extracti hujusce plantae est granorum quatuor ad duodecim usque intra diem. Diu autem protrahendum censent ejusdem usum, ut sensibilis habeatur effectus.

§. VI.

DE SOLANO NIGRO.

Frequentissima ubique locis cultis et pinguibus ruderatis planta est *Solanum nigrum* L. (*) foetido, ac narcotico odore praedita, narcotica etiam, et virulenta. Vix, nisi externo usu eadem ad dolores potissimum leniendos, ac tumores resolvendos adhibetur, etsi usu quoque interno nonnulli ad lotii secretionem promovendam intus adhibuerint.

Debiliores venenatae vires inesse creduntur in *Solano Dulcamara*; de cujus medicis viribus

(*) *La morelle* gall. *Erba morella* vern.

superius diximus; cujusque internus usus apud nos satis frequens, et innocuus.

Suspecta affinis planta censetur, quae *Physalis Alkekengi* (*) dicitur a LINNÆO, cujus tamen baccae insontes sunt, ac in usum veniunt; dulces enim sunt, ac subacidae, et urinam movent. Datur earum succus expressus ad unciam unam, aut baccae ipsae ex aqua, aut vino decoquuntur a numero decem ad viginti.

§. VII.

DE CICUTA.

Post tot scripta, quae ubique vulgata sunt de *Cicutae* medicis viribus, parum nobis dicendum restat, nisi velimus ea repetere, quae ab aliis pluries jam prolata sunt. Est autem *Cicuta* officinarum, seu *Conium maculatum* L. (**) umbellifera planta ad macerias, in coemeteriis, locis umbrosis, pinguibus, prope aggeres, et fossas agrorum, pratorumque sepimenta apud nos vulgatissima, odore quodam ingrato, nauseabundo praedita, succo acri, praesertim in radice.

A vetustissimis temporibus virulenta hujusce plantae vis agnita fuit, ideoque ad externos po-

(*) *Coqueret* gall. *Fiac* vern.

(**) *La grande Ciguë* gall. *Sua* vern.

tius usus adhibita, praesertim ad duros, difficilesque tumores resolvendos. Celebre quoque in officinis *emplastrum de cicuta* interdum camphora inspersum, quod in viscerum imi ventris, hepatis praesertim, ac lienis obstructionibus affecto loco admoveri solet, nec sine utilitate.

Verum, postquam cl. Storck vires hujusce plantae adversus complures difficiles, rebellesque morbos peculiari libello *de Cicuta* praedicavit, plurimi, tanti Viri auctoritate ducti, cicutae quoque utilitatem celebrarunt in cancro, scirrho, paralysi, amaurosi, hydrope, asthmate etc., adeout nullus fortasse morbus sit eorum, qui pro desperatis habentur, in quo cicutam aliquando utilem esse non crediderint. Saepe tamen fefellit eventus, multusque inde factus medentium dissensus; nec certe aliter esse potuit, quum rebelles, et desperatos morbos ars raro sanare possit; aliquando etiam miracula praestat natura, quae nostris medicationibus perperam tribuimus. Cetero viribus vacuam hanc plantam nunquam asseremus vel eo solo, si lubet, argumento, quod extus vires sat efficaces exerat. Illud potius monebimus ab exiguis dosibus semper inchoandum, sensim sensimque auctis pro subjecti, adjunctorum, et effectuum varietate.

Datur autem cicuta potius in extracto, quod

varia ratione parant. Cl. STORCK ex herbae recentis succo inspissato extractum parabat, quod addita sufficienti quantitate pulveris ejusdem plantae in pilulas redactum exhibebat, a granis duobus incipiendo bis de die, iterumque ter, aucta postea dosi, ut drachma una usque, ac binae etiam, et ultra per diem assumerentur. Cl. PARMENTIER censet melius esse succum evaporare, postquam depuratus fuerit: quum fere absoluta coctio ſuerit jungitur tunc viridi foecula, quae separatim asservata fuerit. Initium fieri solet a grano uno vel duobus, quae sensim sensimque adaugeri potest ad multo majorem, usquedum commode ferat aeger. Sunt qui in pulverem tritam cicutam efficaciorem crediderint, ac drachmae unius dosi in infuso ministraverint. Nec desunt qui extractum ex seminibus, quae cum tota planta ebullitionem passa fuerint, paratum commendaverint, sed methodus haec parum a Medicis accepta videtur.

Venenata potestate, et modo dictae plantae haud dissimili pollere traduntur cum *Cicuta virosa* L. in paludibus Europae sterilibus nascens; tum alia apud nos ad hortorum sepes haud infrequens stirps *Aethusa Cynapium* (*) a LINNÆO nuncupata, quae in hortis ipsis haud rara,

(*) *Petite cigüe* gall.

caute ideo admodum ab *Apio Petroselino* (*) distinguenda, quum et odore careat, folia habeat in superficie superiori flavescentia, flores albi sint, eaque involucro partiali sit praedita. Saepe enim contingit, ut acetariis incaute recepta anxietatem, cardialgiam, vertiginem, delirium, et permulta alia tristia phoenomena produxerit.

Articulus II.

De venenis acribus.

Acria venena ea diximus, quae sapori acri, et caustico praedita, quum deglutita sunt, ventriculi ardorem, vomituritionem, tenesmum, vel sanguinis fluxum excitant, simulque virium dejectionem, vertiginem, visus hebetudinem, delirium, coma, convulsiones, aliaque similia plura accersunt. Hinc est, cur acria venena in *acria* proprie dicta, ac *narcotico-acria* a nonnullis fuerint tributa.

Utrisque autem convenit vomitorium promte exhibitum, tum aqua tepens large epota, oleum, mucilaginosa, pinguia, lac, emulsiones, clysteres emollientes saepe iterati, balneum tepens etc.

(**) *Persil* gall. *Pnansemo* vern.

§. I.

DE NAPELLO.

Ob florum elegantiam saepe in hortis exculta, umbrosa, ac alpina frigida loca incolens planta est *Napellus* officinarum, *Aconitum Napellus* a LINNÆO dicta, cujus radix, folia, et caulis acria sunt: odor fortis, et herbaceus.

Etiam cl. STORCK primae praeparationes debentur hujusce plantae, medicarumque ejus virium notitia; quae quidem summae efficaciae esse traduntur in quibusdam contumacibus, ac desperatis morbis, praesertim in podagra, rheumatalgia, ischiade nervosa, scirrhosis glandularum infarctubus, amaurosi etc.

Datur vero hujusce plantae extractum, quod cum saccharo commixtum primis diebus dosi exhibetur, quae minor uno grano est, sensim vero augetur usque ad grana quatuor et decem, ut tamen amplioribus dosibus semper parcamus, quantum licet, memoresque simus periculosum esse remedium istud.

Quod de napello diximus, idem de aliis aconiti speciebus apud nos obviis, *Anthora* nimirum, *Cammaro* etc. dicendum.

Nec veneni suspicione caret *Delphinii* genus aconito proximum, ea praesertim species, quae

Delphinium Staphysagria (*) nuncupatur a Linnaeo in australi Europa crescens, cujus semina licet interno usu tamquam emeticum laudata fuerint, tamen ob violentam in faucibus inductam irritationem, aliaque illata mala merito proscribenda; nec in odontalgia etiam adeo facile adhibenda, quum haud periculo vacet. Ejus usus ad pediculos enecandos extus potius reservandus.

§. II.

DE DIGITALI.

Sat frequens ob floris elegantiam apud nos quoque in hortis colitur planta, quae *Digitalis purpurea* dicta est a Linnaeo in australioris Europae montibus obvia, magni vero nunc usus in Anglia, Germania, et in Italia nostra.

Folia potissimum in usum medicum veniunt, quae colligenda, antequam planta floruerit, dein ad ignem, vel solem siccanda. Intenso amarore scatent, odoremque exhalant narcoticum, ac nauseabundum. Hujusce plantae principia tam aqua, quam alcohol extrahunt.

Licet haec planta nocuos effectus producere visa sit, quales nausea, vomitus, copiosaeque

(*) *Staphisaigre* gall. *Strafugari* vern.

alvi dejectiones, vertigo, visus offuscatio, uberior salivae fluxus, anxietates, syncopes, cardialgia, singultus, pulsus tarditas, caloris imminutio, etc; tamen non desunt qui ipsam magnis laudibus efferant, utilemque admodúm praedicent in multiplici debellanda morborum iliade, nimii tamen; ejus enim praecipua vis dirigi videtur in locales systematis lymphatici effectus, tum etiam viscerum abdominalium, et cutis, ac musculorum; in hydrothorace, in scirrhis, ac tuberculis pulmonum, in scrophulis, atrophia infantili, in paralysi, chronico rheumatismo, similibus deprehensa utilis fuit, speciatim in hydrope, motis saepe largius urinis; ipsam tamen inanem testatur cl. Darwin in confirmato ascite, ac in hydropis speciebus, quae ab organica affectione ortum habuere.

Ob vim, quam habet circuitum sanguinis moderandi, quod ex pulsuum tarditate ad duos, tresve dies interdum protensa repetunt, nonnulli clari in Italia Medici vim, ut vocant, *controstimulantem* ipsi tribuerunt, adeoque in morbis, quos hypersthenicos vocant, aliter inflammatorios, phlogisticos dictos, commendaverunt. Illustrium Virorum auctoritatem venerati illud tantum monebimus haud satis multas in regione nostra habitas observationes, ut in re hac difficili tuto pronunciare possimus.

Ad digitalis administrandae modum quod attinet, varia ratione exhiberi potest. Vel enim in pulvere datur a granis duobus ad tria ter, quaterve intra diem, quatuor, vel quinque horarum intervallo, vel infuso, quod minus activum; siccata folia tunc dosi scrupulorum quatuor in aquae unciis octo, aut decem infunduntur.

Ubi nausea a digitali quoquomodo sumpta producitur, tunc ad ea stimulantia confugiendum est, quae *diffusibilia* a Medicis dicuntur, quandoque etiam ad opium, exigua tamen valde dosi.

Substitui huic minime apud nos indigenae plantae a pharmacopolis vulgo solent binae nostrates vulgatiores *Digitalis* species, *lutea* nimirum, et *ambigua*, quae tamen non adeo activae creduntur, majorique ideo dosi exhibendae. Diuretica porro vi insignis traditur ea *Digitalis* species, quam *lanatam* dixit Willdenow. Datur eadem ad duo, vel tria grana quovis trihorio sumenda. Minus, ac purpuream, infirmare dicitur.

§. III.

DE LAURO-CERASO.

Quum nuperrime medico usu recepta fuerit venenata substantia, quam stillatitia *Pruni Lauro-Cerasi* L. aqua suppeditat, pauca ideo de eadem nobis dicenda hic loci sunt.

Folia hujusce fruticis in hortis generatim exculti amararum amygdalarum saporem, et odorem habent; hinc ad lactis obsonia eodem sapore impraegnanda, pessimo more, planeque damnando solet in culinis adhiberi. Etsi enim modica copia lacte multo diluta innocua fere sit, venenum tamen nefas est in culinis asservare, et uti.

Perinde ac de digitali dictum fuit, aqua stillatitia lauro-cerasi in morbis ex adaucto incitamento pendentibus, ac praesertim in peripneumonia, cynanche, aliisque inflammatoriis generatim affectibus, *controstimulante*, sic dicta, quam ipsis attribuerunt, virtute pollet.

Verum quum hujus administratio iteratis venae sectionibus saepe societur, quum remedii actio juxta variam praeparationis methodum, et aquae cohobationem diversa valde sit; quum certo constet animalia, quibus aqua haec ingurgitata est, inter convulsiones citissime interire; quum momento temporis, paucisque guttis homines certissime necet; hinc prudentis viri esse censemus ab hac remedii novitate abstinere, donec uberiora tentamina rei veritatem penitus declarent.

Externo potius usu in scirrhosis tumoribus, ac in cancro ipso utilis esse potest.

Lauro-ceraso haud valde absimilem virulentam potestatem exercent *Amygdalae amarae*, quae

ex *Amygdalo communi*, et *Persica* L. habentur, tum quae ex *Pruno avium* prostant, tum folia etiam et flores *Amygdali Persicae*, quae omnia perinde ac aqua lauro-cerasi ex acidi prussici praesentia adeo deleterios effectus exerere creduntur.

§. IV.

DE TOXICODENDRO.

A nomine frutici indito facile est noxiam ejusdem ac venenatam vim divinare, quam revera exerit *Toxicodendron* ad *Rhus* Linnaeanum genus relatum, quod ab alia *Rhus* specie *radicanti* a Linnaeo vocata haud multum discrepare cl. Bosc adnotavit, itaut hasce duas species unam tantum constituere crediderit.

Provenit hic frutex in Virginia, et Canada, necnon in Carolinis, facilique cultu apud nos sub dio viget, valdeque repit.

Folia, et truncus potissimum proprium succum fundunt, foetidum emittentia odorem, halitumque gazosum, cui vires deleteriae tribuuntur. Hoc autem gaz juxta cl. Van-Mons tentamina nihil aliud est, nisi gaz hydrogenium carbonatum ac miasma ipsum est hydro-carbonium. Continet insuper frutex iste plurimum tannini, gallici, parum foeculae viridis, ac exiguam ad-

modum gummi, et resinae quantitatem. Laudatus VAN-MONS praesertim inquisivit in basim hujusce substantiae, quae ob ejus connubium cum oxygenio cuidam materiei nigrae originem praebet.

Deleteriae hujusce stirpis proprietates in cutaneum praesertim organum agunt, idem inflammando; constat siquidem in America noxios effectus producere quum manibus contrectatur, itaut quandoque etiam caput infletur, et duplo majus volumen acquirat. Effectus hi ab exhalatione gazosa modo dicta pendent juxta nonnullos, iique valde varii pro varia systematis nervosi praedispositione eorum, qui perniciosis ejusdem influxibus exponuntur; itaut nonnulla subjecta fruticem hunc pene impune contrectent.

Symptomata, quae interdum locum habent, iisdem cedunt praesidiis, quae in erysipelate phlegmonoideo, ac vesiculari adhibentur. Mixtum enim tunc applicatur olei, et cremoris. Cl. GOUAN alkali fluor in aqua dilutum feliciter adhibuit ad eruptionis progressus sistendos. Juxta cl. BOSC Americani sola frigida aqua memoratis symptomatis occurrunt.

Quod ad medicas attinet vires, postremis hisce temporibus laudatum est a cl. DUFRESNOY in nonnullis gravibus affectionibus, in paralysi,

impetiginibus etc., quas vires alii etiam comprobarunt. Quid autem sentiamus ingenue fatebimur; scilicet, quum de desperato morbo agitur, ubi plura apta praesidia incassum adhibita sint, hoc experiri remedium potest, sed summa semper cautione dandum, ac in subjectis tantum haud nimia nervorum mobilitate praeditis.

Medici pene omnes, qui hoc remedium ministrarunt, extracto potissimum usi sunt, incipiendo ab exigua granorum duodecim dosi, pedetentim aucta. Nonnulli ad unciam usque integram progressi sunt, sed dosis ordinaria est drachmae unius intra diem. Quidam in lacte caprino, nonnulli siccata folia, ac in pulverem trita, minoribus tamen dosibus; cl. Dufresnoy *Narcissi Tazetae* L. floribus consociavit, ac radicibus hyoscyami, calida infusione peracta per quindecim dies in oleo olivarum pluribus in casibus praeparatum hoc valde utile deprehendit.

§. V.

DE AGARICIS.

Plures heu nimium! *Agarici* species regionis nostrae teterrima venena sunt, nec unus labitur annus, quin integrae interdum familiae incaute comestorum fungorum victimae sint. Multus ero

profecto, si singulas modo enumerare vellem *Agarici* Linnaeani generis species venenatas; dicam tantum hasce inter frequentissimam eam esse, quae *Agaricus bulbosus vernus* (*), vel *autumnalis* salutatur, qui cum *Agarico eduli* Bull. (**) saepe, malo fato, confunditur, quemadmodum et *muscarius* L., seu *pseudo-aurantiacus* Bull. (***) pro *aurantiaco* (****) ejusdem auctoris assumitur. De hisce autem haud alia addam, quum et plura apud auctores speciatim de hac re agentes reperiantur et quod materies haec peculiarem mereatur tractationem, quae, si tempus sinat, in lucem opportuniori tempore prodibit.

Id unum adjiciam nonnullos Medicos venenatis agaricis usos fuisse in debellandis quibusdam desperatis, dixerim, morbis. Ita *Agaricum muscarium* in epilepsia, ac chronicis glandularum infarctubus ipsum et extus et intus interdum adhibendo, in scrophulis, lentisque aliis systematis lymphatici affectibus. Etiam *Agaricos piperatum*, et *deliciosum* L. in phthisi tuberculosa, ac pulmonum vomica cum eventu adhibuisse testatur cl. Dufresnoy.

(*) V. Bulliard Champignons de la France tab. 108.
(**) L. c. tab. 134.
(***) L. c. tab. 122.
(****) L. c. tab. 120 *Oronge*, gall. *Bolé réal* vern.

Siccatus agarici muscarii pulvis datur a granis duodecim ad vigintiquatuor, sumiturque in aqua vel apto quovis alio vehiculo.

EX MINERALI REGNO.

Minerale regnum plura, et actuosissima quidem venena suppetit, ut *Arsenicum*, *Plumbum*, *Cuprum* etc.; ast quoniam de iis jam alibi diximus, hinc pauca tantum adjungemus hic loci, de sale quodam, cui medicae efficaces vires tribuuntur.

DE MURIATE BARYTAE.

Quod insignis Scheele invenit sal, *Muriatis barytae* nomine cognitum, ac medico usu primum propositum est a cl. Crawford Anglo Medico celeberrimo, nihil aliud est, nisi connubium saturum barytae cum acido muriatico. Raro naturaliter reperitur, ex sulphureto hydrogenato barytae, et carbonate nativo barytae educitur.

Hujusce salis sapor pungens, acris, et austerus. Solvitur in sex aquae frigidae partibus, et aequalibus proportionibus in calida. Albos vapores, ac praecipitatum album ponderosissimum praebet ab acido sulphurico. Acida nitricum, phosphoricum,

tartarosum, sulphates, nitrates, carbonates eum decomponunt, ab alkalibus puris minime alteraratur.

Plura docent ex paullo fortioribus, ac par est, dosibus veneno esse et animalibus, et hominibus; nauseam scilicet, vomitum, vertigines, spasmodicos, et convulsivos motus accersit etc.; quibus vomitorio prompte adhibito, sedantibusque occurrendum.

Praecipua virtus, quae huic sali tribuitur in scrophularum curatione consistit, videtur enim actionem tonicam exercere super systema lymphaticum. Vires tamen istae a cl. Pinel, Alibert, et Gaillard, aliisque forsitan denegantur; afferam tamen recentem observationem, quam humanissime litteris communicavit celeberrimus, meique amantissimus Collega jam superius laudatus Bonvicinus.

Binis puellis decenni alterae, alterae quatuordecim annos natae glandularum colli infarctu gravissimo detentis, quarum secunda inflammatio jam apparuerat ante mensem, ac suppuratio inevitabilis videbatur, hujusce remedii administratione non solum suppuratio hactenus fuit impedita, sed glandulosi tumores volumine minuti, et molliores quotidie fiunt.

Simul vero parandi modum, utendique demon-

stravit idem Vir cl. Scilicet ad educendum barytem de spatho ponderoso illud eligit, quod strontianam minime contineat, eo quod credat hanc terram valde venenatam. Quum barytem parum obtinuit, eum perfecte acido muriatico saturat, additoque aliquantulum destillatae aquae huic dissolutioni, per filtrum trajicit, ac in phiala bene clausa ad usum servat.

Solutionem autem hanc sequenti modo ministrat. Cuivis librae aquae stillatitiae, ac perfecte purae quadraginta guttas solutionis muriatis barytae addit, cujus mixturae duo cochlearia mane jejuno ventriculo, et duo alia vesperi hora una cum dimidio ante coenam aegrotanti assumenda porrigit, alimento omni, jusculoque post remedium ad duas fere horas interdicto. Si hac dosi nec ventris tormina, nec liquidiores dejectiones per alvum eveniunt, tria cochlearia exhibet pro quaque dosi, augetque adhuc eousque, donec symptomata memorata appareant, quo in casu in eadem dosi insistit, donec infarctus glandulosi dissipentur, salusque restituatur.

Monet vero aqua stillatitia purissima semper utendum esse pro solutione muriatis barytae, secus enim communis aqua selenitem continens, seu sulphatem calcis, murias barytae decomponitur, baryta ad acidum sulphuricum transeunte, et spathum ponderosum insolubile componente.

DE ARTE
CONCINNANDI FORMULAS REMEDIORUM.

Si nihil magis in morbis frequens Medico, quam ut eisdem levandis, tollendisque, remediorum formulas praescribat; ita non facillimum ex innumera medicamentorum farragine ea seligere, quae, haud repugnante ipsa rerum natura, scite inter se componi, et in aegrotorum commoda minori cum fastidio praescribi queant, ac propinari.

Certe in officinis, ac in medicamentariis codicibus plures adhuc remediorum formulae reperiuntur a Medicis haud exigui nominis laudatae, nec tamen sat consonae, satisque apte combinatae, ut fere de iis dici possit, quod Poëta:

Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.

Ut itaque ab his Medicina repurgetur, praeclari, ac in arte periti Medici serio, seduloque insudarunt, ut selecto remediorum apparatu, scitaque

compositionis elegantia, et monitis, ac regulis practicis prudenter, ubi opus, adjectis concinnandarum formularum regulas tyrones medicos docerent. Horum ideo vestigia sequentes generales nonnullas regulas adjiciemus ex optimis fontibus haustas.

REGULAE GENERALES

ANTE PRAESCRIPTIONEM FORMULARUM OBSERVANDAE.

1.° Medicus ad aegrum accedens, antequam remedium praescribat, rite decernat, an in oblato casu aliquid agendum incumbat, necne? Saepe enim, teste experientia, magnorumque in arte Virorum suffragio optimum remedium est nullo uti remedio, aut saltem talia, si aegrotus requirat, poterit praescribere, quae juvamen aliquod praestent, sed mitia adeo, et simplicia, ut nullo modo naturam turbent, solumque aegri morositas temperetur, qui, ut apposite inquit Gaubius, *mavult pia hac saepe fraude decipi, ac prognostico relinqui.*

2.° Ubi autem indicatio perspicua jubet agendum aliquid fore, tum remedia seligenda, quae tam ratione materiae, quam formae consequendo

scopo maxime idonea sint. Quae effoeta sunt, et obsoleta, nec diu servari possunt, quin corrumpantur, quoad fieri potest, vitanda, ne praeterquam inefficacia nausea, noxaque aegrotanti inferantur.

3.° Quum natura medicaminis requirit, ut potius cum alio sit commiscendum, ac simpliciter debeat exhiberi, cavendum tunc, ne ea, quae adjiciuntur, aut nullomodo, nec debita queant proportione misceri, vel dum id efficiunt decomponantur, vel alienam remedio indolem adjiciant.

4.° Indigena exoticis praestat anteponere, si illa scopo sufficiunt; non enim adeo facile fraudibus, ac corruptioni obnoxia, quemadmodum evenire in cortice peruviano, moscho, similibus quotidie observamus.

5.° Quae nova sunt, nec probe sat explorata, circumspecte admodum sunt adhibenda, maxime si aliis idem obtineri potest effectus.

6.° Si minori pretio remedia ejusdem sunt efficaciae, praestabit a pretiosioribus abstinere; divitum tamen luxui aliquid dandum, ex pretio enim persaepe remedii vim aestimare consuescunt.

7.° Ingratus, molestusque substantiarum odor, et sapor cum aliis arte immixtis abscondantur, ut jucundiores evadant, quin tamen earum virtus immutetur; alio quoque eaedem exhibeantur

nomine, si ab ipsis abhorret aeger, cujus etiam imaginatio spectanda est, ne sine causa turbemus.

8.° Juvabit quoque apprime scire, qua sint forma substantiae largiendae, in pulverem redactaene, an in infuso, extracto, etc., quum pro varia forma dissimilis esse earumdem effectus consuescat.

9.° Ad doses remediorum respiciendum summopere; sunt, quae exigua dosi data inania, majori activa admodum sunt; insuper assuetus quadam dosi aeger vix afficitur, ni augeatur. Saepe modica a dosi incipiendum est, sensim sensimque ad majores progrediendo, idque maxime in heroicis, ut vocant, remediis, quae diutius protrahuntur, adnotandum.

10.° Plura haud in unam formulam congerenda, quae licet nomine, praeparatione diversa, ejusdem tamen prorsus sunt naturae, et efficaciae.

11.° Quum remedia indicata optime quacumque forma redigi queunt, interrogandus aeger quamnam magis amet, aut horreat, cuinam adsuetus, cui minus.

12.° Tempora etiam scire oportet, in quibus herbae, aliaque magis valent, aut acquiri possunt, ne hieme ad exemplum ea imperentur recentia, quae dudum aestate emarcuerunt. Quam notitiam exactam habebit is tutius, qui Botanicen apprime callebit.

13.° Plurimum scire expedit, quamnam vegetabilis, animalis, aut mineralis substantia physicam, vel chemicam actionem habeat in vasa, quibus servatur. Item variam diversorum tam simplicium, quam compositorum consistentiam cognoscere debet Medicus, ut rite justam formam, mensuram, vehiculum accommodet.

14.° Praestabit quoque scire, qua forma valentius agat substantia quaelibet in animali oeconomia. Sunt enim, quae liquidam potius amant formam, alia siccam, quaedam pilularem; sunt etiam plura, quae ob peculiarem formam palato gratiora sunt, ac jucundiora.

15.° Ne plura sine necessitate, aut utilitate in unam congerantur formulam, itaut quot sunt in morbo symptomata, totidem aptentur substantiae. Simplicitati quammaxime studendum in praescribendis medicamentis, ne interdum complurium substantiarum mixtione incertam alienam acquirat remedium naturam. Caussae enim praesertim tollendae, non symptomatibus satagendum est.

16.° In remediorum praescriptione aetati, sexui, temperamento, anni tempestati, coeli conditionibus, tum aegrotantis idiosyncrasiae, ac consuetudini ratio habenda est, sive relate ad formulae speciem, tum maxime relate ad dosim.

17.° Neque, manente eadem indicatione, ea-

dem semper formula dandum medicamentum est, sed alia substituenda, saepe etiam commutandum remedium in aliud aequivalentes vires habens; quod praesertim in chronicis morbis observandum, quando aeger remedio assuevit.

18.° Ubi datum remedium haud profuerit, minime in eodem perstandum est, sed transeundum ad aliud, maxime si nocuerit; a juvantibus enim, et laedentibus indicationes desumendae.

19.° Id demum alte animo defixum tenendum est, ne agyrtarum, et empyricorum more, cuilibet occurrenti morbo apta servetur formula; non enim ita facile peculiarem quisque morbus admittit; peritia Medici est cujuscumque remedii administrationem, eventumque dirigere, singulisque morbis pro re nata accommodare.

DE GENERALIBUS FORMULARUM DOSIBUS.

Rationalis medicamenti consignatio, ut pharmacopola id apte parare possit, indeque aegrotanti utile evadat, *formula* dicitur, cujus initium hac nota solet a Medicis designari, litera ℞ scilicet, quae *Recipe* significat. Hoc signo pharmacopola jubetur, ut quae subsequentur, promat.

2.° Quaelibet substantia singulari linea conscribenda, ea tamen ratione, ut quae specie, ac natura conveniunt, sibi mutuo proxime subjugantur, ita radix radici, aqua aquae etc.

3.° Pluribus quasi elementis saepe componitur formula, inter quae enumerantur *basis*, *adjuvans*, *corrigens*, et *constituens*. Quae substantia, ob virium suarum intensitatem eminet, *basim* efficit; quae hujusce actionem adjuvat, *adjuvans*, quae ejusdem temperat vim, odore, aut sapore etiam larvatis, *corrigens* dicitur. *Constituens* id est, quod basim excipit, debitamque consistentiam ipsi impertitur: hoc, ubi liquida est forma, *vehiculum* nuncupatur.

4.° Distinctus, et intellectu facilis modus esse debet, quo et formulae ingredientia, et mensurae designandae. Non ideo praepostere nimis pingendae literae: neque in orthographia peccandum, ut a pharmacopola Medicus irrideatur; vitet enim inopportunum scriptionis excessum, unde si plura aequali sint quantitate praescribenda, quin unicuique eadem adjiciantur, vocabulo *ana*, vel *aa* utendum, quod indicat singulis illis tantumdem esse recipiendum.

5.° Postquam ingredientia definita sunt, subscriptio addenda, ut pharmacopola sciat quamnam Medicus formulam expetat, quomodo haec paranda, exhibenda, aut applicanda; hinc litterula aliqua subjicitur, ex. gr. *fiat infusio*, *bolus* caetera. Ubi autem plura simul sunt commiscenda, tunc primo litera *M. Misce* ponitur, dein *fiat decoctum*, *apozema* etc., et si medicamentum jam paratum in varias doses partiendum est, pharmacopola monendus, ut singulas exacte aequales partiatur.

DE PONDERIBUS

IN OFFICINIS USITATIORIBUS.

Libra medica in officinis nostris est unciarum duodecim, seu trium hectogrammatum, septem grammatum, trium decigrammatum, septem centigrammatum.

Uncia octo drachmas aequat, seu 2 decagrammata, 5 grammata, sex decigrammata, 1 centigramma, 4 milligrammata.

Drachma pendet scrupulos tres, vel 3 grammata, 2 decigrammata, 1 milligramma.

Scrupulus constant granis viginti, vel 1 grammate, 6 centigrammatibus, 7 milligrammatibus.

Granum, piperis albi, vel hordei minori grano circiter aequale habetur, seu 5 centigrammatibus, 3 milligrammatibus etc.

Mensurae pro rebus aridis, vel liquidis sequentes habentur.

Pertinent ad priores *Fasciculus*, (*fasc.*) qui quantum brachio capi potest continet, et aequalis habetur manipulis duodecim.

Manipulus (*M.*) quantitatem, quam tota manu complecti possumus determinat, et aequivalet pugillis quatuor.

Pugillus (*Pug.*) continet quantum pollice, duobusque digitis unius manus apprehendi potest.

Ad liquida spectant *Cyathus*, (*Cyath.*) qui circiter sesquiunciam capit.

Cochleare (*cochl.*) quod pro sexuncia habetur.

Gutta (*Gutt.*) quae grano inter pondera substituitur.

Inter novas mensuras ingredientium quantitates sequentibus nominibus designandae.

Kilogramma, quod tribus libris, tribus unciis 19 granis 6 decimis grani partibus respondet.

Hectogramma tribus unciis, 7 drachmis, 13 decimis, ac 6 centesimis grani partibus constat.

Decagramma 5 uncias, 7 grana, 3 decimas, 9 centesimas grani partes continet (*).

Methodus haec, quae ad nova pondera pertinet utique praestabilior; hactenus tamen licet veteribus uti ponderibus in medicina ad graves errores vitandos, qui ab imperitis aliquando pharmacopolis admitti possunt.

(*) Granum metricum, seu decigramma grano uno, novem decimis grani partibus respondet. Haec ex libello, cui titulus: *Tavola di riduzione del peso medicinale*, a cl. CASTELLANO Taurini 1809 in lucem edito excerpta.

Imprimatur
ad usum scholae medicae
in Taurinensi academia.

PROSPER BALBUS, *Rector*.

INDEX.

PARS I.

INDEX ALPHABETICUS
CAPITUM
HISCE DUABUS PARTIBUS COMPREHENSORUM.

A

E

F

G

H

I

K

L

P

Q

R

S

INDEX ALPHABETICUS

GENERUM ET SPECIERUM.

S

T

ERRATA.			CORRIGE.
PARS I.			
Pag. XXI *lin.*	6 contractui		contactui
200	20 superius diximns		inferius dicemus
PARS II.			
Pag. 58 *lin.*	3 ODDIFR	*lege*	ODIER
93	27 nascentis		nascenti
95	18 Thaptiae		Thapsiae
101	11 Raponticum		Rhaponticum
id.	monacorum		Monachorum
id.	hydrogoga		hydragoga

Aliqua nunc de usu medico hirudinum tradenda. Praestantissimum certe auxilium offerunt haec animalcula, ubi sanguis ex iis locis est evacuandus, ubi nec scarificationes, nec incisiones commode locum habent. Infantibus ideo, a quibus venaesectio difficile admittitur, tum ubi secanda est arteria temporalis, et jugularis vena, quae non sine magna chirurgi prudentia, ac dexteritate instituitur, ejus loco hirudines utiliter adhibentur.

Multi insuper morbi sunt, quorum sedes iis est defixa locis, quae nulli, ac memorato praesidio faciliorem praebent aditum. Huc spectant prae caeteris haemorrhoides, ischiatici dolores, ischuria, tenesmus, ac nonnulli nervorum consensu in capite vim suam exerentes morbi, ut mania, hypochondriasis, vertigo etc.; quo in casu rite observandum, utrum ad anum vasa quaedam turgida appareant, an vero antea aegrotus veris haemorrhoidibus laboraverit. Quum hoc utrumque deprehenditur, tunc haemorrhoidum fluxum ciendum esse indicatur. Naturae etiam admodum accomodata esse videtur haec evacuatio, ut praestantior nulla in topicis phlegmasiis; ita in ophtalmia ad canthum oculi externum admotae efficacissimum remedium praebent, teste prae caeteris ill. Pringle. Idem dicito